





1706.

1. Fichtius, Ioh.: De glorio sistinae lucente Adamsi corpore.
2. obnellen, Corpus Matthaeus: De foro legati contra hec.
3. Somthius, Joh. Christ.: De peregrinacione socta vite instituenda.

1707

1. Engelken, Henricus Ascanius: De numero corporis et oblatorio sine surzali Rec. 1716.
2. Koepkenius, David Henricus: Memoria Curadii Tortii
3. obnellen, Corpus Matthaeus: De matricemone nobilis cum iugabili. 2 Sept. 1707 - 1746.
4. Schupfferus, Ioh. Fridericus: Repudiationis torturae
5. Schupfferus, Ioh. Fridericus: De falsa ratione dec dendo
6. Lobrand, Fridericus Henricus: De pactis salabilibus

1708.

1. Mueller, Casp. Matthaei: Programma, quo ad solennia  
doctoralia Eozodi Trackrii ab Eichmann iuritat.
2. Mueller, Casp. Matthaei: Programma, quo ad solennia  
Georgii Casperii Tindembergi  
doctoralia Renoldi Trackrii ab Eichmann iuritat
3. Mueller, Casp. Matthaei, per yns. protecamus? Programma  
quo ad solennia doctoralia Joh. Christiani Petersen  
iuritat
4. Mullerius, Casparus Matthaeus: De festinatione judicii  
iuris
5. Mullerius, Casparus Matthaeus: De iuramenti delatione  
contra matrimoniuum
6. Mullerius, Casparus Matthaeus: De iuramenti delatione  
in causa fiscalis pecuniorum

1709.

1. Schneppfer, Joh. Track: Programma, quo ad solennia  
doctoralia Pierius Johannis Gutaueri iuritat.

1709.

2. Schaeffer, Ioh. Fractinus, per ipsius tractatus:  
Programma, quo ad solennem doctricem Martinii Alberti  
W. Hebrandt iuris factum

3<sup>o</sup> et 4<sup>o</sup> Schaefferus, Ioh. Fractinus: Reculpa lata ministeri  
statas. 2 Baul. 1709 - 1721.

5. Schaefferus, Ioh. Fractinus: De genetis concretis

6. Schaefferus, Ioh. Fractinus: De matricario per  
subsistuum contractum.

6 Schaeffer, Ioh. Fracti: Reculpa lata latonis  
ab hereditibus brandata.

7. Schaefferus, Ioh. Fractinus: De matricario per  
subsistuum contracto.

8. Schaefferus, Ioh. Fractinus: De iure civili, jis  
naturae determinante circa personas.

9<sup>o</sup> et 10<sup>o</sup> Schaeffer, Ioh. Fracti: 1. urbis honoris.  
2 Baul. 1709 - 1727.

17 Aug.

10. Stein, Mathias: De alienatione immobili  
fundi imperii.









*1706/1*  
DISPUTATIO THEOLOGICA  
EXAMINANS  
CONTROVERSIAM RECENTIOREM  
DE  
GLORIOSISSIME LVCENTE  
**A D A M I**  
**C O R P O R E**

*1706/1*  
A FAMOSISSIMIS OBSERV. HALENSIVM COLLECTORIBVS  
TOM. II. OBSERV. VI. MOTAM  
QVAM  
CONSENSU THEOLOG. ORDINIS  
SUB PRAESIDIO

**DN. IOH. FECHTII,**  
DOCT. ET PROF. THEOL. SENIORIS, CONSIST. DUC.  
CONSIL. AC DISTRICTVS ROSTOCH.  
SUPERINTENDENTIS

IN AUDITORIO MAJORI

D. XXII. DEC. MDCC VI.

PUBLICAE AC PLACIDAE COMMITIT. DISQUISITIONI SUBMITTIT

**ALBERT. HENR. SLEDANUS,**  
SUNDA POM.

*1716*  
VITEMBERGAE, RECUSA MDCC XVI.

DIVISATAGIO THYTHOGIOI

EXAMINAVI  
CONTRARIOREM RECENSIORUM

COLRODISSE FAVENTIE

# IMAGINA

## CORPORIS

EXAMINAVI RECENSIORENS

MOTUS ET VITIA AUTOMAT

OMNI

COLRODISSE RECENSIORENS

EXAMINAVI RECENSIORENS

DNI IONI RECENSI

BOOK OF PROPHETIES AND OF RECENSIORENS

EXAMINAVI RECENSIORENS

COLRODISSE RECENSIORENS

EXAMINAVI RECENSIORENS


DNI IONI RECENSI

BOOK OF PROPHETIES AND OF RECENSIORENS

EXAMINAVI RECENSIORENS

COLRODISSE RECENSIORENS

EXAMINAVI RECENSIORENS



A. D. T.  
**PROOEMIVM**  
De excellentia Status integratatis.



Unquam satis accurata lance metiemur dolores & innumera alia incommoda, quibus omnes in universum homines per lapsum Adami in miserium statum redacti affliguntur. Augentur quotidie, cum reminiscuntur beati istius Integritatis status, quo nihil unquam felicior, nihil optatius desideratur, aut exspectari potuisset.

Summam illius excellentiam fuisse quis dubitat? Ea enim ex adjunctis imaginis DEI, si modo rite recteque illa considerentur, satis efficacissime adstrui potest. En! *Imago Protoplastis a Benignissimo Numine collata propagabilis erat*, ut, si in Integritate perstisset, speciem integri propagaturi fuissent Gen. V. 3. Rom. V. 12. Que si observasset Thom. Hobbes [a] non adeo impudenter adserueret, Adamum & Evam, nisi peccasset, vixisse Paradiso terrestri sine prole in perpetuum. Contra hunc videri possunt Augustinus [b] B. Luherus [c] Ex Calvinianis Nic. Arnoldus [d] & ex Scholasticorum choro Gabriel Biel. [e] En habitationem amanissimam! Hortus cum

A 2

suis

[a] Operibus Philosoph. & spec. Leviatb. cap. XXXVIII. p. 209. [b]  
De Civit. Dei Lib. IV. cap. 23. [c] Comment. in Gen. II. 18. [d]  
In Luc. in Tenebr. P. I. pag. 5. [e] In Invent. Gen. lib. II. di-  
scitb. XX. qui una dub. 2. i. k.

4

suis elegantissimis ornamentis conspiciebatur hic nobis sistitur. Hortus in Eden, formatus ante Adamum, quippe qui postea in illum introducebatur, amoenissimus erat. Uno nomine vocatur Paradisus. De cuius situ variisque adjunctis inter se disquirunt Eruditi. conf. Dn. M. Job. Vorßius. (f) Hoc primorum Parentum habitaculum Celeberrimus inter Belgas Doctor Hermannus Wissius (g) pro sacramento status integritatis habet & propterea ab Incomparabili Tübingensium Theologo Dn. Job. Wolfgango Jägero (b) virgula notatur censoria. Loci hujus amoenitas frustra queritur, quæ diluvio periit, gratis recreuisse creditur. Fuere autem illius singularia ornamenta. Considera quæsio arborem scientiae boni & mali. Per hanc impurus Veneris filiu, L. Adr. Beverlandus virilia Adami intelligit (i) quem more suo i. e. accuratissime hujus Academiae immortalis memoriae Theologus B. Just. Christopb. Sebomerus refellit. (k) Dicta autem ita fuit non tantum ab effectu, sed etiam a scopo & usu divinitus constituto, quo per hanc arborem probare voluit DEUS, an Protoplasti abstinentia ab ea vero bono constanter adhaerere, an vero de illa contra divinum mandatum comedendo summo malo delectari vellent. Nomen enim hoc non demum post lapsum ob tristem mali experientiam & boni proh! derperditum tenuit, sed id ipso interdicto divino adepta est. Nec minorem sane elegantiam ac splendorem Arbor Vitæ paradiso attulit. Haec, quod omnino adverendum est, vitam non ad tempus faltem longum (quod etiam post lapsum extra & citra illius usum aequi dabatur Patriarchis, ut de iis historiarum monumenta testantur) extensus, sed in perpetuum conservatura erat. Gen. II. 22. 23. donec ex statu animali in statum alterius vitæ gloriosum & spiritualem homo integer transferreretur. De utraque arbore legi merentur eruditæ Dissert. B. Christi Chemnitii Theologi quondam Jenensis meritisissimi. (l) En denique gratiosam SS. Trinitatis inhabitationem &

(f) Diatrib. de Paradiſo Anno 1653. Rostochii hab. (g) Ocean fader. Lib. I. cap. VI. p. 67. seqq. (b) Traffar. de Jure Dei felicital. p. 65. seqq. (i) Dissert. de peccato Orig. p. 30. 31. (k) Collegi Recent. Controv. cap. IX. de pecc. §. 1. [(l) Anno 1679. Et 83. recusa]

rationem? quid hac splendidius unquam excogitari potest? Habitaculum habebat Adamus amoenissimum ex benignissima DEI concessione, ut jam vidimus, ipseque erat S.S. Trinitatis habitaculum splendissimum. An vero haec inhabitatio in numerum donorum supernaturalium, an vero naturalium referenda; haud immerito queri posset? Supernaturale fuisse donum, communior Theologorum sententia approbat. Pro naturali militat vaftæ eruditiois Theologus B. Job. Ad. Ofiander (m) & qui eum sequitur Dominus Praes meus, Praeceptor ac Studiorum meorum Promotor plus quam filiali amore prosequens (n) Utraque sententia, licet priori ultima preferenda, status integratatis excellentiam egregie confirmat. Suavitatis est delectatio, que inde resultavit, vix verbis exprimi potest. Quando enim gaudio fideles in statu lapsus hodie constituti perfunduntur, cum certo sibi constat, se esse Spiritus S. habitaculum? Annon ergo perfectissimum gaudium in cor Adami integri ex inhabitatione Spiritus S. redundarit? Nullus dubito. Uberius haec ut exponam, præfaminis ratio haut permittit. Dicam paucis, quod res est. Status hominis integri fuit excellentissimus, eamque huic statui annexam excellentiam qui negat, ipsam Scripturæ S. veritatem negare oportet. Haec testimonium de illa infallibile perhibet, quod mortalium omnes debita animi veneratione suscipere tenentur. Eorum tamen ingenia merito jure miramur, qui tacente Spiritu S. nescio quale corporis Adami excellentiam singunt, & omnibus, quod ajunt, lacertis propugnant. Praeter & ultra Scripturam sapere gestiunt, sed revera inspiunt. Ad oculum id patebit, cum hypothesin Observatoris Halensis de Luce corporis Adami justo modo consideraverimus. Fateri equidem haud pudet, argumenta, que pro hac opinione loco in rubrico citato adferuntur, ita esse comparata, ut vel unico dissolvi queant ictu. Verum enim vero, ne Dominus Observator, qui alias plus justo jaet, suoque indulget ingenio, sibi per vasum habeat, ea esse infallibilia & pro veritate coelesti habenda, ea singula, licet brevissime, post qualem cuncta

A 3                    que

[m] P. II. Colleg. Syst. p. 238. [n] Colleg. Privatiss. de Iusq DEI  
 §. V. qu. I.

que negativæ sententiaæ confirmationem, auxilio Magnis. Dn. Presidis, quod nullo non tempore gratissimo agnoscam animo, sublevatus aggrediar. Ut autem ordine procedam, totam hujus thematis tractationem, duobus expediam capitibus, quorum I. Thesin nostram probabit II. Argumenta adversæ partis refutabit. Adsit Dominus Dominantium, dirigat mentem, calamum, lingvamque, quo & in hoc negotio vel nihil cogitemus, nihil scribanus, nihil eloquamur, quam quod Divino suo Nomini honorificum & Ecclesiæ Orthodoxæ saltare esse queat. Fiat! Fiat!

## CAPUT. I.

### SISTENS THESEOS ORTHODOXÆ PROBATIONEM.

#### S. I.

**D**E corporè Adami in statu integritatis constituto acturis duo potissimum momenta consideranda nobis veniunt. Primum exhibebit veras qualitates corporis Adami integri, Alterum fictas removebit.

§. II. Queris; Quibusnam ergo *qualitatibus* corpus Adami integri fuerit ornatum? Dicam, vel potius repetam brevissimis sententiam in Scholis Theologorum hactenus receptam. En! *Impassibile & Immortale* fuit hominis integri corpus. *Impassibilitas*, quod explicacionis ergo adducere placet, non dicit absentiam omnis omnino passionis quocunque modo dictæ naturalis etiam & ex qualitate calidi innati, cibi & potus, sed immunitatem [i.] ab omni interna dispositione morbisca, lethifera, doloris ac molestie causativa. [z.] ab omnibus externis dolorum ac molestiarum injuriis, quas nudi protoplasti, si corpora habuissent passibilia, tolerare haud potuissent. Hanc vero impassibilitatem quantu[m] potissimum rationibus demonstravit Theologus de Universa Christi Ecclesia meritissimus, vñ ev dñs D. Abrab. Calovius [4] quæ sat firmæ sunt, si iis singularis providentia divina jungatur, ceu ab aliis jamdum observatum est. Absolute

solute quidem loquendo corpus Adami integri videtur non  
fuisse plane invulnerabile, cum ipsis Christi dulcissimi no-  
strri Salvatoris corpus tot in passione sua acceperit vulnera,  
ut vix ac ne vix quidem homini similis esset. At vero spe-  
ciem veri hæcce ratiocinatio habet, nullo tamen firmo niti-  
tur fundamento. Vulnerum ac passionis in corpore Chri-  
sti admisso mere liberrimæ fuit Oeconomia propter salu-  
tem nostram & receptam in se molem peccatorum nostro-  
rum. Passus est & vulneratus non propter se, sed propter  
nos. Passus est & vulneratus ut maximus peccator, quippe  
cui totius mundi sclera fuere imputata. Hancque percus-  
sionem Christi ipsi DEO sacer tribuit codex. An, queſo  
hæc ad hominem integrum applicari poslunt? Minime gen-  
tium. Hic nullus respectus sive Oeconomia talis, sive pec-  
cati illius, & DEI propter peccata percurientis respectus est;  
Frustrane ergo, si verum fateri licet, sunt quæſtiones de  
talibus vulnerationis aut periculorum casibus non possibili-  
bus, de vulnerabilitate ſcil. que absolute loquendo non erat  
impossibilis, ſi ita placaret Diuino Numinis, a cuius nutu unice  
Adamus pendebat, nunquam in actum deducenda, cum  
nulli hostes nec ferre quicquam contra Adamum valituri fu-  
iſſent, ſi ſpectas providentiam DEI singularem, hominis in-  
tegri ſapientiam ejusque in bestias dominium. conf. B. Seb.  
Schmidius [b] R. Job. Frid. König. [c]

[a] Syst. Theol. Tom. VI. p. 400. [b] in Tract. elegantissimo de  
Imag. DEL. [c] Theol. pos. L. de Imag. §. 30.

§. III. Altera, quæ imaginem DEI comitabatur, qualitas,  
eamque magis augmentum reddebat, a Theologis futuri ſoleat  
**Immortalitas**, quæ non animæ ſoliſ, ſed totius hominis et-  
iam corporis intelligendo, ut, ſi homo non peccaret, non  
moriturus, ſed æternum DEO ſuo bonisque ejus fruiturus  
fuifset. **Augustinus** [a] ut duplice mortalitatem diſtinguit,  
alteram, qua primus homo mori poterat, alteram qua post  
gustatam arborem debebat, ſic etiam duplicem immortalitatem  
ponit, primam, poſte non mori, quæ erit futuræ vice, quam  
&

majorem immortalitatem appellat. Adamo autem prior Immortalitas competebat, habebatque potentiam non moriendo, & si in illo perfidisset statu, moriturus non fuisset, deinceps autem erit impotens moriendo. Illa immortalitas corporis Adami integri variis modis impugnatur ab Adversariis nostris. *Pontificii* eam primo homini supernaturalem faciunt, cum tamen iustitia originalis, qua homini omnino naturalis erat, fructus foret, sicut mors iustitiae, vid. *B. Scherzerum*, (b) Nec procul ab hac Pontificiorum sententia abeunt *Syncretistæ*. Sic enim *Christ. Dreierius*, (c) ut alios taceam, docet, hominem in statu integratissima sola gratia fuisse immortalem, quem propterea merito jure perstrinxit *B. M. Conv. Neufeld*, (d) Potissimum autem in controversiam eam vocant post *Pelagium Sociniani*, (e) *Weigelius*, (f) *Arminiani*, *Isaacus Peyerinus* *Præ-Adamitarum* scilicet (g) *Calviniani* quidam (b) & ex *Cartesianis Granewegen* (i) qui hominem mortalem creatum, mortemque non peccati, sed natura sequelam esse statuant. Unde Adamum, licet in integritate perseverantem & coeli Candidatum, tamen non nisi intercedente morte illud obtenturum fuisse existimant, adeoque mortem in genus humanum ab Adami labe derivatam negant. Quæ non tantum beato primi hominis statui, sed & S. literis e diametro repugnant. Conditus erat primus homo in statu felicissimo, ut DEO tanquam unico suo fine perpetuo satiaretur, huic profecto felicitati nihil magis inimicum erat, quam mori & votis suis sanctissimis frustrari. Et quid? Audiamus Spiritum S. in Scriptura loquentem! Hic peccatum unicam mortis causam esse pronunciat, cum in prima comminatione: *quocunque die comedēs* de Arbore cognitionis boni & mali, *moriendo morieris* Gen. II. 17, tum in implemento ejus. *Publis et & in pulvrem reverteris*, Gen. III. 19, quo & Apostolus respicit perspicue adserens; *Per unum hominem peccatum in mundum intrasse & per peccatum mortem*; et ita in omnes homines mortem pertransiisse. Rom. V. 12. Conf. Rom. VIII. 10. Ad quæ loca dum excipiunt, per *mortem æternam* mortem, ex qua redditus non detur, vel vitæ hujus calamitates, non sine rædio-

ad

ad mortem ducentes, vel mortis denique necessitatem aliamque ejus, postquam ex peccato aliquid maledictionis traxit, faciem intellegi, non autem mortem corporalem; manifesto nimium prevaricantur, dum ex solo sententia sue prejudicio, quecunque per mortis vocabulum ullibi significantur, admittunt: & vulgatissimam ejus significacionem, queque primò intuitu nobis occurrit, quæque præsertim Gen. II. 17. phras: *Morte morieris in Scripturis tam sepe denotatur, excludunt.* Objectionibus aliis ut immoremur, instituti ratio haud permittit. Conf. interea, si placet. B. Mislerus (k) B. Schomerus (l) B. Scherzerus (m) & ex Calvinianis Job. Coccejus (n) Samuel Marelius (o) Franciscus Burmannus (p) Wilhelmus Momma (q) aliique, qui tamen cautelegendi, quia ubivis puri non sunt.

(a) Lib. III. cap. 2. de Genes. ad liter. (b) in Anti-Bellarmino. Disp. XIV. p. 530. (c) in der Erörterung. p. 153. 156. 171. 185. 187. (d) in Vind. Manual. Pruten. p. 103. (e) Socinus de statu primi hominis p. 57. Catech. Racoy p. 21. (f) in Postill. P. II. p. 29. (g) vid. B. Schomerus Coll. Recent. Controv. Cap. VIII. §. 4. (h) Keckermann. lib. I. System. Theol. Cap. II. (i) Catech. p. 29. (k) Tom. IX. Dispp. Gieffens. Disp. XIV. p. 785. (l) loc. cit. (m) Syst. Theol. Loc. V. p. 115. & Brev. Hulsem. Cap. III. p. 190. (n) Tom. VI. Opp. in summ. Theol. Cap. XVIII. alibi (o) in Tract. de Gratia Cap. VI. de Pecc. Orig. p. 96. & seqq. (p) in Synops. Theol. Tom. I. lib. II. C. 1. p. 385. seq. (q) in tract. Theol. Oecon. fader. annex. Loc. de Creat. p. 197.

§. IV. Nunc ut ordinem supra definitum servemus, eorum videamus sententias, qui alias præter, extra, imo contra Scripturam fictas qualitates corpori Adami integri tribuunt. Sistitur autem oculis nostris in limine statim *Eboracorum nonnullorum* sententia, qua Adamum *Androgynum* fuisse satis impudenter assertunt. vid. Thomas Browne (z) & Dominus de Molken. (b) Judæorum sententia adstipulansur Franciscus Georgius Venetus (c) Augustinus Steuchus Chisamensis Episcopus (d) *Anonymous* quidam in Francia apud Cornelium a Lapide (e) omnesque hodie Boehmiste. Sed nugae sunt, quas ipse S. codex apertissime detegit refellitque dico; Deum creasse non ~~τίτλον~~ illum sed ~~τίτλον~~ illos conf. Job. Hoornbeck (f) Franciscus Burmannus (g) Tostatus (b) Alii Adamum corporis magnitudine quosvis superasfæ homines ajunt, eumque

B

fuisse

fuisse *Gigantem* haud obscurè tradunt. vid. *Genebrardus* (i) *Job.* *Eu-*  
*cidas* (k) Alii vero hisce contradicentes recta via in contrarium  
 prolabuntur, dum *Gigantum* existentiam simpliciter negant.  
 Ita sentiunt *Chrysostomus* (l) *Ambrosius* (m) & ex *Judeis* *Philo* (n)  
*Josephus* (o) & qui illos sequitur, *Autor der Hällischen Annver-*  
*stungen* (p) qui etiam alias luculentissima Scripturæ loca in su-  
 um detorquere solet sensum. Utroque sententia, quod vel Ty-  
 rones advertunt, infirmo stat tali. Prior, alias ne memore-  
 mus rationes, ex loco male intellecto *Jof. XIV.* v. ult. est desum-  
 ta & ex Rabbinorum Scriptis hausta. Veris vulgata decepit  
 Autores. LXX. Interpretes aliter verba reddiderunt, que se-  
 cundum fontem ita fluenter: *Nomen Hebronis olim fuerat Chariath-*  
*Arbe is fuerat homo inter Enacinos maximus.* Et posito, hoc in loco  
 de primo homine Adamo agi, aliae tamen profecto cause, cur  
 maximus appelletur, subesse posunt. Annon denominationis  
 hujus fundamentum ex eo defundum esse potuit, quia a DEO  
 immediate creatus & totius generis humani caput constitutus  
 erat? vel, si hoc ad palatum non est, annon propterea ita voca-  
 ri potuit, quia singularibus a DEO præ ceteris hominibus orna-  
 tus & cumulatus fuit beneficii, utpote iustitia originali &c.? Ju-  
 dicium sit penes eruditum ac benevolum Lectorem. Conf inte-  
 rea si libet, *Andr. Majus* (q) *Nicolaus Serarius* (r) *B. Artopenus* (s)  
*Pererius* (t) Alteram sententiam, que Gigantes unquam existi-  
 se negat, tam sacrarum, quam profanarum historiam mo-  
 numenta efficacissime destruunt. Alia adhuc fabulosa *Judæi*  
 de Adami adserunt statura, que collecta vid. ap. *D. Julianum Bar-*  
*zolocium de Celeno.* (u) Non enim tanti sunt momenti, ut spe-  
 ciatim a nobis vel adduci vel refelli mereantur. Ea, qua adse-  
 runt & finguntur facilitate, a nobis rejiciuntur, quicquid et-  
 iam alii, qui nugis hisce valde delectantur, sentiant.

(a) in *Traictat. Relig.* *Medici* *Setz.* *XX.* p. 130. edit. *Argenor.* & p.  
 76. edit. *Belgic.* (b) in *Annot. ad Relig.* *Medici* p. 134. (e) in *Pro-*  
*blem Script. S. Tom. I. prob. 29.* (d) in *Cosmopœia s. Comm. in III. pri-*  
*ora cap. Gen. Tom. I. Opp. p. 686. seqq.* edit *Parif.* (c) in *Gen. I. 27.*  
 (f) in *Traictat. de Convincendis & Convertendis Judeis* *Lib. IV.* p.  
 335. seqq. (g) in *a. Tom. I. lib. I. cap. XLII.* §. 116. p. 317. (b) in *Gen.*  
 I. qu.

I. qu. 32. (i) in Chronographia (k) lib. I. de emend. temp. cap. IV.  
 (l) in Catena in Gen. (m) de Noe cap. 4. (n) de Gigantibus. (o)  
 lib. I. Antiqu. Judaic. Cap. V. (p) P. I. p. 340. (q) in Comm. in b. I.  
 (r) in Comm. in b. I. (s) in peculiari Dissertatione de b. m. (t) Com-  
 ment. in Genes. p. 130. (u) Part. I. Bibl. Rabbinic. p. 64. seqq.

S V. Verum enim vero, quid de Opinione Observatoris Hallensis, qua corpus Adami integri facit lucidum loco in titulo no-  
 rato, sentiendum sit, mox exponam specialius, si in genere B. L.  
 hoc tantum observaverit, eam ab aliis jam olim esse approbatam,  
 a Domino Observatore vero, cuius ingenium totum occupavit Li-  
 bertinismus sentiendi & credendi, novo quasi colore pictam in  
 scenam produci. Pererius (a) ostendit, fuisse jam olim, qui A-  
 dami corpori aliquid praeter elementa ex quinta, ut vocabant, es-  
 sentia i.e. ex materia coelesti assignaverint, quam materiam nescio  
 cuius lucis nomine appellant. Damnare vero Theologos hanc  
 doctrinam tanquam falsam, Philosophos etiam derideret ut pueri-  
 les nugas ac aniles fabulas. Rationem ipse addit (qua ex Scho-  
 la Aristotelis desumpta, cui olim omnes fuere addicti, hodie non  
 admittitur) quia coelestia non possunt miseri cum terrestribus, tan-  
 quam incorruptibilia cum corruptilibus. Jungeremus Observa-  
 tori Halensi D. Zieroldum (b) qui scribit, quemadmodum corpus par-  
 ticeps sit anima justa & sancta anime sanctum efficitur instrumentum, per  
 quod justa anima justas suas, sapientes & sanctas perficit actiones. Cor-  
 pus Adami lucidum Luc. XI. 36. & membra arma lucis & justitiae erant.  
 Rom. VI. 13. seqq. c. XIII. v. 12, nisi verba exponi possent de luce fi-  
 gurata, sicut & ipsum Christi dictum, quod probationis loco ap-  
 ponit, ita intelligitur.

(a) I. c. p. 127. (b) in Theol. vere Evangelica. p. 15.

S. VI. Ut ergo de nostra constet sententia, sine ambagibus  
 hanc Anti-thesis Observatori Halensi oppono: Corpus Adami in-  
 tegri non sit lucidum. Quam statim, ne more Dni Dissidentis  
 tanquam dixisse videar, probo (I.) a silentio scripture. Arguo: Quod-  
 cunque ex S. literis neque κατὰ πνεῦμα neque κατὰ διάνοιαν proba-  
 ri potest, id temere adseritur. Atqui Thesis, corpus Adami fu-  
 isse lucidum, ex S. literis neque κατὰ πνεῦμα neque κατὰ διάνοιαν  
 probari potest. E, illa temere adseritur. Majoris veritas vel ex

ipsis terminis constat. Nec enim de Adamo nobis extra Scripturam S. quicquam aliunde constat. Minor facili adstruitur negotio, si argumenta contraria considerantur. Ad p̄t̄v nec ipse Observator audet provocare. Consequentia, quas adfert, non in Schola Spiritus Sancti, sed in cerebello novaturientis sunt natæ, id quod ex infra dicendis, ubi eas speciatim examinavero, evidenter constabat *Prob. II. ex dictis, que existentiam & formalem imaginis divina rationem ostendunt.* Hanc descripturus Spiritus S. qui ipsa est veritas & nil nisi verum dicit, demonstrat, eam fuisse primario positam *sapientia justitia & sanctitate.* Conf. Eph. IV. 24. Coel. VII. v. ult. Nunc ita argumentor: quæcumque qualitas ex imagine divina demonstrari non potest, illa Adamo integro tribui nequit. Atqui qualitas, qua corpus Adami integrum lucidum dicitur, non potest demonstrari ex imagine divina. E. hæc qualitas Adamo integro tribui nequit. Minor ex dictis citatis patet, quæ ne yed quidem de luce tradunt. Majorem demonstro hac ratione, quia ex imaginis divinæ statu deducendæ sunt omnes primi hominis perfectiones, utpote elegantia faciei, temperamenti vigor & similia, quod iterum constat, quia sine illis ea, quæ ad ipsam imaginis essentiam pertinent, ut notitia rerum divinarum eminentissima & amor DEI intensissimus, feliciter exerceri non potuissent. Sed non potest eodem modo ostendi, quod etiam Lux corporis inter ea sit, quæ notitiam illam & amorem facilitaverint aut necessario ad eorum exercitium requisita fuerint. Quomodo autem ex imagine divina profluxerit corporis decor & elegancia, non quod ad imaginis divinae essentiam, sed quod ad statum ejus pertinuerit, fuse & solidissime ostendit *Magnif. Dn. Praef. (4)* Nempe id quatuor modis fieri, quos breviter, pace ipsius recenseo (I.) quod perfectiones interiores in exteriores profluant, ut hæc illa arguant ac demonstrent (II.) quod dotes interiores exteriores efficiant (III.) quod ad talem statum interius felicem omnino pertineat status externus felix, sicut Aristoteles ad statum summi boni requirit divitias, sanitatem, honores. (IV.) quod ipsa natura primi hominis perfectissime creata fuerit, adeoque ipsa natura intendat in procreanda sua specie pariter perfectionem. *Prob. (III.) ex dictis, que de vita eterna agunt, ubi imago divina restaurabitur, & cor-*

pus

pus lucidum & clarum erit. Arguo. Quameunque qualitatem. Spiritus S. vindicat corporibus glorificatis, illa corpori non glorificato haud adscribenda est. Atqui lucidum & clarum esse Spiritus S. vindicat corporibus glorificatis. E. hæc qualitas corpori non glorificate tribui nequit. Minorem confirmant varia Scripturæ loca. Dan. XIII. 3. Marth. XIII. 43. 1. Cor. XV. 41. 42. Phil. III. 21. Major vero hoc nititur fundamento. Quia id, quod in gloria demum consecuturi sumus, in statu imaginis non habuimus. Alias nulla esset differentia inter statum integratatis & æternæ gloriae. Idque eo verius est, quo probabilius, si corporum claritas in primo homine locum habuisset, perinde id silentio præteriturus non fuisset Spiritus S. ac non prætererit hanc claritatem in laudando statu gloriae. Videtur equidem primore intuitu ex hac ratione probari posse sententiam contrariam, nempe corpus Adami fuisse lucidum, sed videtur faltem, revera ex ea probari nequit; nam magna est differentia inter corpus glorificatum & non glorificatum. Lucidum & clarum erit corpus glorificatum, quia etiam reliquas qualitates habebit, que cum luce ac ceteris corporibus lucidis sunt conexa, quales sunt subtilitas, spiritualitas & aliae. Quea cum de corpore Adami non glorificato affirmari nequeant, nec id, quod ex illis fluit, vel ad minimum immediate illis annexum est, ejus corpori tribui potest. Ulterius arguo: Quicunque demum gloriam, lucem & splendorem consequi debebat in altera vita, is talem in hac vita nondum habuit. Atqui Adamus, si in statu integratatis mansisset, gloriam, lucem & splendorem demum consequi debebat in altera vita. E. talem Adamus, si in statu integratatis mansisset, nondum habuit. Majoris veritas ex supra allatis adstruitur. Minor vero altioris indaginis esse videtur. Sunt enim nonnulli in ea opinione, Adamum si in statu integratatis mansisset, non ad gloriam provehendum nec majoribus dotibus fuisse exornandum. vid. Becker (b) Moses Amyraldus. Theologus Gallus (c) Qui error etiam Socinianorum & Anabaptistarum est. (d) At vero obstant huic opinioni rationes magni omnino ponderis En! Beatitudinem coelestem & æternam perdidimus in Adamo per eius lapsum & inobedientiam, Ergo ipse eadem fuisset fruaturus, si in statu integratatis permanisset. Quod enim per pecca-

peccatum est amissum, id a DEO datum fuit Adamo aut promisum. i. Cor. XV. 22. En! Promissio legis, quæ sub vita omnem beatitudinem præcipue coelestem promittit, habebat necessario locum in statu Integritatis, cum Adamus legi ad vitam subjectus fuerit, licet ille vitam eternam promereri haud potuerit, de quo ultimo momento vid. Job. Volckmarus (e); Job. Fried. König. (f) Hülsemannus (g) Quenstedius (h) Si plura desideras pro thefeso nostræ confirmatione, considera quæsto Adami dignitatem, quæ ostendebat, eum ad meliora, quam ad terram esse creatum. Considera ejus desiderium, quod admodum vehemens fuit, expleri vero non poterat, nisi constantissima summi boni possessione. Et quid? ipsa DEI imago, quam habebat primus homo, haud patiebatur, eum in terris a beatis sedibus, quas cognoscebat, exulem semper agere, sed requirebat, ut celo esset donandus ibique plenissima DEI imagine beatitudinis & glorie satiandus. Quod obiiciunt, nullo oraculo notificatum esse, quod Adamus mutandus fuerit, ad rem prorsus non facit. Opus enim non erat, hominem scire modum, quomodo beata vita conferri deberet, uti nec scire opus erat, quomodo creatus erat. Sufficiebat nosse rem ipsam, modus divine voluntati relinquendus erat. Nec obstat veritati, fœdus operum fuisse fœdus naturale; Hoc enim ambabus largimur manibus, & eo veritas magis confirmatur, nam natura ad frumentum DEI percipiendam, desiderandam, querendam, sperandam facta est. Sed hæc ᾧ εἰ πάροδο. Alia qui hac de controversia scire cupit, audeat Job. Coccejum (i) Melch. Leydeckerum (k) Franciscum Burmannum (l) Zanchium (m) aliosque. Nos interim properamus ad Prob. (IV.) quæ defumta est ex periculo contrariae opinioni adherente. Nam facil negorio tana de imagine divina doctrina everti & errores dudum profligati ex orco reduci poterunt. Manichei figuram corporis attendentes, imaginem divinam plane negarunt. vid. Augustinus (n) Ambropomorphita & Audiani in strutura & lineamentis corporeis imaginem divinam positam fuisse finixerunt. Conf. Augustinus (o) Si non idem, hisce tamen erroribus simile quid docet observator Halensis. Sat Sapienti! Sufficiant hæc de primo capite dicta.

(a) In Nost. Christ. Exerc. X. de Forma faciei Christi p. 465. seq. (b) in

in lib. cui tit. *Vaste Spys* p. 25. (c) Tom. II. Disßp. *Salmuriens*. Disßp. de tribus faderibus. (d) vid. Burmanni *Synops.* Tom. I. lib. III. C. III. p. 398. (e) in Disßp. *Inaug. De Meritis Adami* in statu integro anno 1683. sub Presid. D. Job. Baggeri Haffnia habet. (f) in Disßp. de jugo legis Rom. VIII. Cap. III. *Porism.* I. § 5. (g) in *Praelect.* ad *Brev.* Cap. VIII. p. 1177. n. 4. (b) P. IV. *Syst. Loc. de Testamento divinis.* f. 256. *theſ. VII.* nor. 1. (i) Tom. I. *Opp. in Gen.* fol. 19. seqq. (k) in *Face Veritatis Loc. IX.* quæſt. 5. p. 405. seqq. (m) Tom. III. *oper. lib.* 3. Cap. 4. quæſt. 8. (n) Tom. I. *de Genesi contra Manich.* lib. I. c. 17 de *Hæres.* c. L. & LXVI.

## CAPVT II. ARGUMENTA CONTRARIÆ PARTIS REFUTANS.

### §. I.

**N**unc tandem ipsa paradoxa sententia, corpus Adami, (quini & Eve, ut ex tractatione pater) instar Solis luxille, examinanda nobis est. Quo vero, quid in se vel veri contineat, vel falsi, eo melius pronuntiare queamus, singula Observatoris momenta, retento eodem tractationis ordine, ad accuratam analysis revocabimus; Inde enim satis manifestum evadet, utrum illa invictè concludant, ut quidem satis audacter prætendit Autor, vel probabilem saltem efficiant fidem, aut plane nullam. Singulis ergo §§. nostrorum quaecunque subjiciemus judicium.

**§. II.** Satis profecto speciose suum figmentum proponere conatur Dn. Observator, de quo vel initium sue tractationis luculentissime testari potest. Audiamus ipsum differentem! Nihil, inquit, pene frequenius est, quam ut Christiani quidam mirentur, cum audiunt explicationes quasdam Scriptura S. qua Philosophia Etrnicorum aut contrariantur, aut ignorentur. Ita nihil ipsis magis inauditum & improbabile videtur, quam dogma de splendore corporis Adami, cum tamen nihil clarius, nihil verius, nihil divinius & Christiana sapientie convenientius sit, quam illud ipsum tam incognitum tam explosum & contentum dogma. Hactenus ille. Verba hæc si penitus introspiciantur & considerentur, magis reformatæ Ecclesiæ Doctores, Socinianos aliosque perstringere apta sunt, quam nos tristis; qui vocem domini sui soliti

Ioliti semper fuerunt præ omnibus rationis deliciis, nedum præ Ethnica Philosophia: qua Ethnica: Ut enim illa e bonis naturæ principiis deducitur, ab ipso Apostolo laudatur Rom. II. 15. i. Cor. X. 14.) audire, de quo testantur tot contra Calvinianos & Socinianos disputationes, quæ in Eruditorum manibus sunt. De cetero thesis ipsa, quæ nempe hæc est: *Dogmate de splendore corporis Adami nihil clarus, nihil verius, nihil divinus & humana sapientia convenientius est*, tanta cum asseveratione & indubitate certitudine posita promittit quidem argumenta invicta, sed quam male fidem servet, in futuro eorundem examine constabit. Dicit: Dogmate de splendore corporis Adami *nihil clarus, nihil verius esse*, sed quæsito? Quomodo hæc claritas vix unius ex tanto tempore hominis oculos non perstrinxit, ut lucem tam claram viderent? Si hoc dogma haec tenus inauditus, quomodo explodi potuit aut contemni? An, quod nunquam auditum est, potest explodi? Quemadmodum revera ad usque tempus hujus Observationis de hoc splendore extra Mosen Barcaepham (de quo etiam deinceps dicendi locus erit) nihil unquam auditum, multo minus illud explosum & contumum fuit. Et utinam Clar. Dominus Obseruator tacuisse! Sic enim Eruditorum rify si non hocce suo dogmate exposuisset.

§. III. Sed quid dico? Existimat Autor, se suscipere opus aliquod maxime laudandum. Hinc more suo i. e. satis thrasonice §. II. hunc in modum differere pergit: *Nos igitur nunc illud tanto confidentius a contemni & obliuione vindicabimus, quo magis indies veritas elucescit & Scripturarum S. explicaciones Ethnica odiosores evadunt. Annitemur autem pro virili, ut obscuritatem evadanus, nec in re gravis momenti levibus utramur argumentis. Viderur enim nobis indubitate veritas indubitatis argumentis stabilienda, ne prodiisse causam videamur, quam bona fide defendendam suscepimus.* Respondemus (1.) in genere: Illa, quæ hodie potissimum in his Observationibus elucere dicitur veritas, & Scripturarum explicatio, admodum pauper est. Et si candide pronunciare liceat de presenti Observatione, dicendum erit, illam non Scripturarum explicationem, sed eversionem tradere. Ad bonam suam fidem male provocat Autor, cum jam dudum bonam fidem decoxerit. Quod autem quis non habet, ad id provocare non potest. Multa pro indubitate veritate vendunt, quæ

17

quæ a veritate longissime absunt, aut veritati e diametro repugnant,  
quod sequentia docebunt. (2) *in specie.* Cum Scripturarum ex-  
plicationem Ethnicam hodie odiosorem fieri jaētar, sine dubio in-  
telligit explicationem regulis hermenevticis innixam, que expli-  
catio ipsi Ethnica dicitur, quia regulæ Hermenevticæ ipsi rationi,  
quam solam excolunt Ethnici, sunt consentaneæ. Nec enim com-  
prehendi ulla cogitatione potest, quid aliter intelligatur. Sin  
vero ipsius est sententia, talem Scripturarum explicationem, que  
regulis innititur Hermenevticis, esse Ethnicam, ipse vel culpandus  
est, quia iisdem uritur. Turpe est Doctori, cum culpa redarguit  
ipsum. Alii Fanatici regulas illas ideo contemnunt, rejiciuntque,  
quia Spiritum præferunt homini menti per devotam lectio-  
nem Scripturae sine ejusmodi operosis adminiculis illabentem.  
De quo utrum Autor adversus Ethnicas Hermenevticas regulas  
gloriarri velit, dici non potest, cum admodum id sit incertum.

§. IV. Postulata quæ §. III. & IV. Dominus Observator sibi  
concedi desiderat, frustra plane postulantur. Dicit: ex statu præsen-  
ti humani generis pristinum Adami statum male judicari; sed cum  
larvis pugnat. Omnes enim ambabus concedimus manibus, ex  
statu præsenti humani generis pristinum Adami statum male ju-  
dicari. Ostendat vel unicum, qui ita unquam judicavit. Si fin-  
gere quicquid libet, verum est dicere aut veritatem indubitatam  
defendere, magnum se prestitit Virum Dominus Observator. Sta-  
tus hodiernus cum statu integritatis conferri haud potest. Ille  
enim omnis infelicitatis quasi compendium quoddam est. In hoc  
vero omnia fuere contraria. Demonstrandum ergo erit, dicere  
enim haud sufficit, fuisse quosdam, quibus religioni fuerit hoc  
concedere. §. IV. sub hypothesi concludit autor: Dispiciendum  
ergo posthac erit, in ipso enim nexus nihil desiderari potest, ex qui-  
bus hodie amissis ad lucem corporis Adami invictè colligi possit.

§. V. A postulatis ad hypotheses, quibus segmentum suum  
superstruit, pedem promovet Cl. Autor §. V. easque duorum ge-  
nerum (que ibi vide) esse ostendit. Illa, quomodo concludant,  
ex mox dicendis B. L. facile colligere poterit negotio. Specia-  
lem ergo considerationem hic minime merentur. Quæ autem  
§. VI. adfert, sine justa censura dimittenda non sunt. Apponam  
verba, quæ ita sonant; *Historia creationis docet, Adamum ex terra*

C

*prodidisse*

prodidisse vivum & postquam prodidisset, a DEO Spiritu S. mente donatum esse Gen. II. 7. Ut bac clarius percipientur, removendus est error eorum, qui propter pictorum insaniam, Deum Adamo producendo tanquam figuram adstituisse somniant. Deus est substantia omnipotens & efficacissima, & per suam efficaciam efficit, ut ex pulvere terra prodiret creatura Adamus, cui divinus Spiritus indebatur, per quem pro arbitriatu suo regeret quosvis animantes, & faceret omnia, quecumque ad vitam ac Excellentiam suam conservandam pertinenter. Gen. I. 27. Arque proprias plantias Adam imago divina erat, ut ipse Moses illum appellat. Hic est introitus ad futuras pro luce corporis Adami argumentationes. Satis prodit, quid in pectore gerat, Observator. Quedam notanda veniunt ad hunc §. I. Cum pictorum, ut vocat, insaniam perfstringit, qui Deum Adamo producendo tanquam figuram adstituisse somniant, nefcio an eorum insaniam adprobare velit, qui Deum pingi non posse aut debere alleverant. Notum est, Calvinianos docere, Deum aliqua facie pingendum non esse, vid. ex recentioribus Wilhelmo Momme (a) Nicolaus Arnoldus (b) Hisce si adstipulatur Dominus Observator, majori insaniam laborat, quam pictores. Imo nulla causa est, cur pictores insanii dicantur, cum res sensibus carentes Symbolicis picturis repräsentant, ut eorum proprietates per similitudinem rerum materiarum animo impriment. Ipse Deus sese externa in specie frequentissime oculis hominum objectit, cui insaniam adscribere blasphemum est, vid. & leg. hac de re D. Frid. Balduinus, (c) B. Job. Corr. Dannbauer. (d) (II) Quod imaginem divinam Adamo inditam in eo constituisse ait, quod talis ei inditus fuerit Spiritus, quo animalia omnia regere, eaque facere possit, quae ad vitam & excellentiam suam conservandam pertinenter, in eo Socimanorum (e) & Arminianorum tequitur placita, qui & ipsi imaginem divinam in Dominio in creaturas, & in ratione, qua regere possent, constituant. Quod quam delirum sit, a Theologis fuse demonstratum est, vid. B. Abrab. Calovius (f) B. Scherzerus (g) B. Seb. Schmidtus, (h) Job. Wolfgang Jäger. (i) Nic. Arnoldus (k) Sam. Maresius (l) Job. Coccejus. (m) Et posito, haec universa concedi posse, tamen ad lucem corpori Adamitico ciliandam quomodo faciant, ne Argus facile videbit.

(a) In Oecon. sed. Tom. I. p. 297: sqq. in 8vo. (b) in Tenebr. p. 580. aliquique. (c) in pet. Disp. de Imag. (d) in Hodom. Galvin. P. I. p. 137.  
(e)

(e) Smalzius eoper. Francium Disp. II. p. 6. Oforodus in Instir.  
 c. 33. Catech. Racov. p. 9. (f) in Socin Prostig. p. 77. (g) in Coll.  
 Anti-Socin. p. 275. (b) de Imag. Div. p. 389. seqq. (i) in Jure Dei  
 sed. qu. 17. p. 179. seqq. (k) in Luc. in tenebr. P. 3. (l) in Belgio  
 Orthod. p. 189. (m) Tom. I. Opp. in Gen. fol. 11. seqq.

§. VI. Alteram hypothesin Observator his conceptam verbit tradit §. VII. Deinde, inquit, eadem historia nobis confirmat, Adamo acquisitum omnium arborum Paradisi, in quem ante paulo translatus erat, fructus edere, exceptis pomis unius, qua naturam Adami corrumperent. Hoc enim est id, quod Moses dicit arborem sciendi bona & mala Gen. I. 16. 17. Mala enim & bona non tam intellectu cognoscuntur, quam ipso sensu percipiuntur. Inepit esset, qui divitem e. g. diceret, scire malum pauperatis, et si omnia omnium scripta de illo legisset. Judicet B. L. an hanc aliquo pacto faciant ad illuminandam Adami faciem? Si meum tenue apponere licet judicium, dicarem, id nullo modo apparere. Præterea eas denuo hic propinat hypotheses, quæ non paradoxæ tantum sunt & fundamento omni destitutæ, sed insuper ridiculæ & pueriles. (I.) Paradoxon est, fructus arboris vetitæ corrupisse naturam Adami. Id enim citra dubium intelligit. Autor de corruptione ipsius animæ ratione prædictæ quoad scientiam regendi bestias, adeo, ut post lapsum debilitata fuerint vires Adami, ut non amplius sciret, quomodo bestie regendæ essent, quemadmodum antea. Videtur hanc corruptionem adscribere ipsi naturali pomorum illorum qualitati, non alteri, ac cum herba quedam venenata sanam hominis constitutionem corrumpit, si comedatur. Cum quicquid corruptionis infuscatum est, comeditionem de arbore verita, id non provenierit ex qualitate illius fructus venenati, sed ex transgressione præcepti divini (II.) Occasio hic est dicendi quidpiam de ipsa illa arbore, unde denominationem accepérit, an ab ipso Deo, an a Diabolo? Quod posterius defendit B. D. Seb. Schmidius (4) vid. & Clericus (b) qui ait, videri hanc arborem vim habuisse hominem in eo prudentiorem faciendi, quod malum suum prævaricationis agnoscet. Iohann. Marck. (c) ait: dictam hanc esse arborem ita a conscientia obedientiae præstite cum premio expectando & inobedientiae commissæ cum poena. Utrum Clerici sententia Do-

minus Observator sit addictus merito dubitatur. Si enim hæc arbor vim habuit, ut homo experientia misera, non speculando, scientiam hanc esset adepturus, quod deliquerit, ut loquitur *Anon Anglus* (d) tamen non corruptit hominem, sed perfectionem ei majorem attulit (III) Ridiculum est, quod Observator tradit, ineptum esse, qui divitem diceret scire malum paupertatis, et si omnia omnium scripta de eo legisset. An enim, qui legit, hos illosve in bello jaculo transfossos, aut tormenti globo capite aliquo membro mutilatos esse hoc malum ignorat? An Medicus ignorat morbos, quos ipse nunquam est perpeccitus? An qui Martyrum passiones legit, nescit, quale malum illi fuerint passi, etiam si omnium Martyrologiorum libros legerit? An iraque frustra leguntur historiæ de tormentis E. g. quæ illata sunt Francilico Ravalliaco Regicideæ. Eam ipsam ob causam talia in libris legenda traduntur, ut Lectores hæc cognoscant, immanes dolores animo concipient & ejusmodi facinora ferio detestentur. Evidenter qui mala & legit & patitur, rectius illa novit quam qui tantum legit. Sed ideo ineptus non est, qui dicit divitem scire, quantum malum sit paupertas, et si omnium omnia scripta de eo legisset. Sed qui hoc contra sole clariorem experientiam negat, ipsis ineptis magis est ineptus.

(a) *Diss. ad Gen. II. f. 3. f. (b) in Gen. p. 18. (c) in Hist. Paradisi p. 421. (d) in Annot. Bibl. p. 6.*

§. VII. Tertiam hypothesin exhibet Autor §. II X. quæ equidem extra controversiam posita est, quid tamen ad institutum Autoris faciat, ne cogitando quidem quenquam assiqui posse arbitror. Ineptissima foret consequentia; Adamo juncta est socia, quæ ex costa ejus constructa fuit & cum Adamo summe familiariter vivere debuit. E. Adami corpus fuit lucidum. Quæ autem §. IX. dicit, magis ad rem esse videntur. Accedit enim proprius ad propositum suum, nempe ad nuditatem Adami describendam, ex qua lucem deducit. Heic tamen adhuc communiori sententiae, quanquam cum aliqua dubitandi particula videretur accedit. Rationes hujus dubitationis adfert Clericus (a) qui eam ipsam ob causam & hic Socinianorum sententiae adstipulatur, quod nempe primi Parentes in summa simplicitate, qualis est in

in pueris conditi, fuerint. Quæ hypothesis, cum jam dudum explosa sit, hic specialem refutationem non postulat. Videbis interea *Calovium* (b) *Scherzerum*, (c) & e *Calvinianis Nicolaus Arnoldum*. (d)

(a) In *Gen.* p. 23. (b) l. c. & in *Gen.* p. 336. (c) l. c. (d) in *Luc.* in *Tenebr.* P. I. p. 9. & II.

§. VIII. Sententia §. X. est, Adamum & Evam se in horto abdidisse in dumeta & cinxisse se foliis fucus ob aëris frigiditatem, quam ex tonitru (ita enim interpretatur: *Ibar vox Dei in horto*) metuebant. Ante lapsum némpe nulla aëris & tempestatum incommoda ipsi metuenda fuerant, adeoque non curabat nuditatem suam. Verum cum peccaverit & Deus statim tonitru excitasset, sentiebat, Deum sibi ob peccatum iratum esse trigesquo tempestatem subsecuturum, ideo se occultabat inter dumeta & foliis se adversus frigus muniebat. Quæ omnia ex intentione Autoris eo tendunt, ut constet, per lapsum amissum esse splendorem, consequenter calorem. Verum enim vero circa hanc paradoxam Autoris sententiam notandum, (t) eandem textui sacro & circumstantiis non esse convenientem. Non enim dicitur *Gen.* II. ult. *Nudi erant homines neque frigebant, sed neque pudescabant*. Neque etiam postea dicit Adam *Gen.* III. 10. *Audiebam vocem tuam*, non quia splendui, sed quia nudus sum, adeoque quod ex superiori advertendum est, pudore tangor. Et quale hoc esset munimentum adversus frigus, circumdare se frigidissimis foliis, potius augeretur frigus. Equidem & *Clericus* (e) memorabilem habet & in aliquo cum Dno Observatore convenientem sententiam, quod putat, quando dicitur, *se nudos esse cognoverunt Gen.* III. 7. non de nuditate propriæ dicta sermonem esse, (f) (quam in rem varia adserit argumenta) sed שְׁמַע h. l. sumi pro peccatore, quomodo sumi putat *Exod.* XXXII. 25. adeoque hic dicere velle Adamum, se peccatores nudatos imagine divina, ut & exponit B. *Job*. *Quistorpius*, (b) esse agnoverunt; it. timebam, quia peccator eram. Quæ est nova & paradoxa, ut pleraque, Clerici sententia. Deinde prorsus ad mentem Domini Observatoris reliqua quoque interpretatur *Clericus*. Conluerant folia & ramos & faciebant sibi קָרְבָּן scēnas, pro quo Lutherus Zōnas.

nas. Omnia sane apud Clericum coacta sunt. Ejus sententiam fuse examinat Dn. Johann. Marck, (d) ad quem ut brevitatii studeamus, hac vice B. L. remittimus. conf. *Commentatores* passim ad h. I. (II) quando Observator dicit, verborum illorum a B. Seb. Schmidio ita redditorum: *cum audirent vocem Dei ambulantis in barto tempore aure diei*, sensum esse hunc: *Cum sonitu audiatur, ut aer refrigerescet*; atque ad hanc sententiam comprobandam ad lectiōnē Ebraeām fine punctis provocat, tum (1.) non apparet, quomodo hanc suam sententiam ex literis textus, si vel maxime seponantur puncta vocalia, exculpere velit vid. *And. Rivetus.* (d) De voce Dei audita & vento diei omnium fusifissime agit Dn. Marck, (e) (2.) Iterum prodit autor animum ad quaslibet sententias profanas, Sacrarum literarum vel contemtum vel libertatem pro arbitrio illas interpretandi, propensum, dum ait: eos facile intellecturos, hunc esse verborum sensum, qui malint scripturam sine punctis intelligere, quam cum illis non intelligere. Nempe sine punctis ipsi est juxta beneplacitum suum rectius intelligere & ad sensum quemcunque infleclere, quam cum punctis non intelligere sensu Libertinistico. Utrum puncta vocalia sint textui sacro coeva, fuse a Theologis & Criticis passim disputatum est, Negarunt ex recentioribus *Richardus Simonius* (f) *Christoph. Wittichus*, (g) Affirmativam vero sententiam vide ap. B. Schomerus (b) & Job. Leusdenium. (i) qui ex professo hac de materia egit.

(a) ad b. l. p. 29. (b) in *Annot.* p. 11. (c) de *Paradiso* p. 687. seq. it. p. 164. seq. (d) Tom. I. Opp. p. 134. seq. in *Gen.* (e) l. c. p. 670. seq. (f) ad *Psi. XXII.* 17. (g) in *Aphor. Theol. Comment.* Epist. Ebr. annex. *Decad.* 3. tb. 4. p. 430. (b) in *Colleg. Recent. Controv. Loc. II. de Script.* § 5. (i) in *Philologo Ebræo Dissert.* XIV. XV. p. 154. seqq.

§. IX. Docet Observator §. XI. Dominum horum in fermentem & cætera animantia labefactum esse, quod ante lapsum integrum & in corruptum habuerat; Probationis loco adserit Gen. III. 15. Sed Resp. (I) Verum est; dominum in animantia post lapsum labefactum esse, sed hoc parum facit ad institutum Autoris obtinendum, ut postea dicetur. Resp. (II) Quando *Autor* cum Josepho, Rabbinis, Bonfrerio (a) Hugone Grotio (b) aliisque Gen. III. 15.

per

per serpentem mere naturalem intelligit, apertissime Spiritui S. contradicit. Nam (1) v. i. 4. 5. Cap. III. Gen. tales Serpenti tribuntur actiones, quæ in naturalem non cadunt. (2) singularis hic iniunctio describitur. At de serpente naturali non magis sibi metuere habebat opus, quam de aliis venenatis aut parcerne nesciis bestiis. (3) Indoles contritionis capitis serpentini cessura in solatium hominibus lapis explicationem hanc non admittit. Exiguum enim aut nullum inde resultasset solatium, et si omnibus, quotquot erant, serpentibus & citra calcanei lesionem contrita fuissent capita. vid. B. Salomon Glafius. (e) Nostra ergo sententia est, hoc in dicto agi de illo antiquo serpente, qui est Diabolus & Saran Apoc. XX. 2. qui totum mundum seducit, adeoque & Evans seduxit, Apoc. XII. 9. conf. Joh. VIII. 44. 2. Cor. XI. 3. Per semen mulieris hic non intelliguntur collectivè ejus posteri, ut cum Calvinus, Musculo, Pareo, Beza, Rivotto aliquis ex hoc grege, nec non Hugone Grotio statuit Dominus Observator; sed individualiter unicus Messias Dei filius ex promissione mediata generatione secundum H. N. in temporis plenitudine exiturus. Idque prob. (1) ex appellatione. Vocatur feminis serpentini Antagonista γάτη, quod nomen in propria & famosiori significatione unum saltē notat individuum, quomodo accipitur Gen. IV. 25. XV. 3. XXI. 13. XXII. 18. 2. Sam. VII. 11. aliquique passim. Estē vero individuum hoc solum Messiam, ex frequentibus innoteſcat. (2) Ex operis singularissimi attributione, quod est contritio capitis serpentini activa, contritionis passiva interventu futura. At folus Messias serpentis caput h. e. Diaboli potentiam ac robur omne, quo nocere nobis potest, conterit h. e. deſtruir atque hoc pačto Satanicum regnum plenarie debellat. (3) ex Collegii Patriarchalis interpretatione Gen. IV. v. i. c. V. v. 29. (4) ex feminis hujus ad unicūm Messiae individuum alibi facta determinatione. Conf. Gen. XXII. 18. XXVI. 4. XXVIII. 14. XLIX. 10. Gal. III. 16. Hebr. II. 16. aliquique. Eandem hujus loci interpretationem habent LXX. Interpretes & Chaldaica Paraphrasis, de qua vid. B. Waltherum. (d) Nobiscum consentiunt quoque ex Calvinianis Franciscus Junius (e) Sixtinus ab Amama. (f)

(a) In b. l. (b) in b. l. (c) in Cibristol. Mosaica Diff. II. p. 2. tb. 10. seqq.  
 (d) in Officium Biblica. p. 583. seqq. (e) in Not. Bibl. ad b. l. & in Prelect. super Cap. III. Gen. (f) in Anti-Barb. Bibl. p. 218.

§. X. Quod *Cl. Dn. Observator* de Imperio Adami in Evam §. XII. afferit, suum non probat assertum. Evidem verum est, post lapsum in Evam imperium concessum esse Adamo tale, quale ante lapsum non habuisset. An vero inde sequitur: Ergo ante lapsum Evam non certa ratione subfuisse directioni mariti sui? Minime gentium. Nam hoc Apostolus ex ipsa ratione accepte a Viro imaginis divinæ dedit, qua ante lapsum gavisus est Adam, 1. Cor. XI. 7. sq. conf. Job. March. (a) Differentiam eleganter exprimit & describit *Rivetus*. (b) Quod vero dicet Autor ad Co-Observatoris sui fulissime defensam opinionem: Viris ne quidem post lapsum competere imperium in uxorem, nedum ante lapsum? (c) Pagellarum angustia haud permittit, ut specialiter in hanc sententiam inquiramus. §. XIII. Domini Observatoris transeat, nisi, quando sub finem dicit *terram, nisi Adam peccasset, sponte sua fructus egregios tulisse*, id ita intelligendum sit, quod fine molesta & curiosa opera fructus tulisset, non vero sine omni opera. Erat enim & in Paradiso terra colenda. Gen. II. 15. Sententia, quam Dn. Observator. §. XIV. inculcat, nobis non adversatur, idcirco & hanc lubentissime mittimus.

(a) l. c. p. 701. sq. (b) l. c. p. 155. (c) in Append. der auferlesenen *Ansmercingen Part. III. ubi ad argumenta e Scriptura deducit a sollicitate respondere conatur.*

§. XI. Sine mora ergo ad §. XV. properamus, in quo de novo portenta interpretationum Scripturæ occurunt. Omnia autem verba ḥphi ut adscribamus, opus non erit. Principalia tamen adducemus; *ipsa fuerat mater*. Parum quidem situm est in eo, utrum vertatur τὸ θῆτα per *fuerat*, an per *est*, de quo disputat *Rivetus*, (a) quanquam ratio, qua probare cupit Autor in præterito vertendum esse: quod nempe alias in participio præsenti dixisset θῆτα, ridicula sit, cum ab usu Scripturæ perpetuo recedat, hoc verbum in participio ad denotandum præsens tempus legi. At vero non minus pia est *Brentii*, *Lutberti* aliorumque interpretatione, vertendum esse in futuro, quia *futura est Mater omnium viventium*, & respectum haberi ad vitam Spiritualem in Prot-Evangelio promissam. vid. *Calovius* (b) quanquam *Seb. Schmidius* & omnium fulissime *D. March* (c) de matre viventium vita naturali

turali intelligent.<sup>10</sup> Quam monstrofa vero versio est Observatoris: *Eva fuerat socia Adami, qui totus erat vividus.* Ubi unquam mater pro uxore vel socia sumitur? Ubi unquam *כל*<sup>11</sup> nomine adjectivo (ut h. l. Observator *רֹאשׁ* sumit) adponitur, ut significet totus? Et tamen de hac sua expositione audet pronunciare. *Absurdum est vox* *כל* *רֹאשׁ* *intelligere solum genus humanum.* Si absurdum est, solum genus humanum intelligi, quanto absurdius erit, solum Adamum intelligi? Et cur absurdum, per omne id, quod vivit & ab Eva tanquam Matre procedit, solum genus humanum intelligi? Quinimo convenienter non tantum, sed necessarium est totum genus humanum intelligi, quippe quod & omne & solum ab Eva tanquam Matre procedit. Cum porro sit: *Absurdum est illa, ubi nulla liberorum Adami mentio sit, de libertate cogitare, vix credere possum, tam ineptam argumentationem ab homine rationis compote proficiisci posse.* Annon enim omne vivum sunt liberi Eve? Et vero ideo mater intelligi nequit, ubi liberorum non sit expressa mentio? Gen. II. 24. Exod. XXI. 17. Hieb. XVII. 14. Jer. XV. 8. Ol. X. 14. Matth. XV. 4. Marc. VII. 10. Et innumera talia Concordantiarum nobis libri suppeditabunt. Denique quemadmodum connexio, quis sensus est verborum: Adam appellavit uxorem suam Eavam, i. e. vividam, quia nutrix & socia fuerat Adami, qui totus, quantus erat, vividus fuit?

(a) I. c. p. 159. (b) in Bibl. Illust. p. 249. (c) I. c. p. 834. sq.

§. XII. Ultimam tandem Cl. Dn. Observator hypothesin sistit. §. XVI. eaque potissimum circa vestes primorum Parentum occupata est. Sed difficile admodum est conjicere, cur hoc de uestibus Adamo factis proponat Autor. Cum vero querit: Cur Deus sub Zona temperata & satis calida voluerit uestibus uti Adamum & Eavam? vere iterum ineptit: Cur non & eos hodie, qui sub zona temperata vivunt, interrogat, cur uestibus utantur? Cur non & Hallenses suos interrogat, cur leviente nonnunquam uestu uestibus nihilominus utantur? Quod illi responsuri sunt, sue questioni haud difficuler applicari poterit.

§. XIII. Relictis hypothesibus utriusque generis, progeditur Autor ad argumenta, quibus splendorem corporis Adami putat probari posse. Primum autem illorum §. XVII. desumendum est

est ex dominio Adami in animantes, quod ipse met pro tali habet, quod suspicionem pariat. Ut justo ordine hoc diluamus argumentum Resp. (I.) in genere. Supra promiserat Autor, se in re gravioris momenti, qualis haec sit, nolle uti levibus argumentis, sed indubitatem veritatem indubitatis & invictis stabilire se velle argumentis. Id vero cum non faciat, sed militem premitat levissimae armaturae, qui suspiciunculam tantum splendoris pariat & proposicam thesin aliquo tantum modo, ut loquitur, prober, quis non inde justissime concluderet, ipsum juxta verba §. II. causam prodere, quam bona fide defendendam suscepit? Rf. (II.) in specie. Si ponamus, ut poni omnino debet, dominium Adami in animantes longe aliud fuisse, ac hodie est, cum per lapsum id hodie sit labefactum, quoniam ista est consequentiae chimera, E. ante lapsum per splendorem id fuit exercitum? Ante exerceri poterat per splendorem, E. vere per splendorem exercitum est. Sol dominium suum agitat per splendorem. E. idem per lumen & Adamus exercuit. Si aliud fuit dominium Adami, quam nunc est, nihil obstat quoniam minus credatur, illud fuisse exercitum per splendorem. Parum abest, quin febris lectori concilient tam febriculosa argumenta. Apro exerceri poterat Adami dominium per Angelos, tanquam administratorios Spiritus, iusta celerrime & potentissime exercentes, quibus DEUS hodie, nedum ante lapsum injunxit, ut hominibus officia sua praestarent. Pf. XCI. n. E. per Angelos revera fuit administratum. Sol dominium suum in universa exercet per calorem, quo omnia vivificat. E. & Adamus. Si aliud est dominium, quo gubernatur hodie Resp. Venera, Batava, Romana, quam olim, ergo nihil obstat, quo minus credatur, fuisse illud vel Monarchicum, vel Democraticum. A Dominio solis figurato ad proprie dictum nulla est consequentia. A remotione speciei unius ad positionem alterius, si plures dantur species, nulla est sequela.

§. XIV. Alterum argumentum, quod innititur hypothesibus prioris generis, ut Autor testatur, occurrit §. XVIII. Qui cum varia, que virgula censoria notanda sunt, exhibeat, totus hic apponendum: Adamum splenduisse, ita sonat, liquet satis etiam ex eo, quod post eum fructus veritatis bona & mala intelligebat. Erenim cum bona & mala sensu solum, non intellectu percipiuntur, vid. §. VII. oportet Adamo

Adamo, antequam verito pomo vesceretur, aliquid adhaesisse, quod frigoris e. g. molestias ab eo arceret. Quid autem est, quod nos ab frigoris injuria tam immunes servare queat, quam splendor aliquis igneus? Sed & careras, quibus hodie obnoxii sumus, molestias tollebat olim in Adamo splendor igneus. Famem tollebat splendor, siti tollebat, morbos quoque tollebat, affectus denique ipsos consopiebat. Omnia enim mala bac oriuntur ex intemperie aequae impeditione motus sanguinis ac spirituum animalium, ut vis splendoris ignei omnia vase, per qua curfitant sanguis & spiritus animales, in Adamo ita sensim pervagari & communire poterat, ut tollerentur omnia, que corum cursum & temperiem impiderent. Verbo: Adamus & carebat, & sensim magis fame, sti affectibus, frigore, morborumque cruentatibus non minus caruisse, quam ipse ille sol, qui nos & sovet & aliis quotidie. Hactenus audivimus Cl. Domini Observatorem, nunc & nos audiat. Respondemus vero. (I.) Eandem supra jam instantis dilutam hic redire hypothesis: *Bona & mala sensu solum, non intellectu percipi.* Quanquam enim etiam iuxta Aristotelem omnis cognitio incipiat a sensibus, ex eo tamen non sequitur, bona & mala ideo ab intellectu non percipi, ut plane contrarium evinci queat, quin cognitio a sensibus incipit & a sensibus ad intellectum diffunditur; Ergo cum sensus perceperunt, intellectus percepta cognoscit. Praterea sensus cognitionem ad intellectum deferunt, non tantum immediate & directe, sed etiam mediate & analogice. Qui enim nunquam est capite plexus, nec unquam fame enecatus, nec febri aut peste afflicatus, cognoscere tamen haec mala potest ex analogia cum malis aliis, vel in hominibus vel in bestiis animadversis (II.) Cum ait Autor, necesse fuisse, ut Adamo aliquid adhaererit, quod frigoris molestias arceret, cur non meminit ejus, quod supra dixerat, ne quidem videri Adamum & Evam etiam post lapsum opus habuisse vestibus, cum vixerint sub Zona temperata & sarcis calida. Quomodo ita frigoris molestiae metui poterant? Ipse Autor satis si bi non confitat. (III.) Cum porro inquit: *Quid est, quod nos a frigoris injuria tam immunes servare queat, quam splendor aliquis igneus?* At in hypocaustis nostris sine omni igneo corporum nostrorum splendore a frigore conservamur. Et in calidioribus regionibus sole vestes immunes nos a frigore praestant. Et calor aliquis

D 2

in

in corporibus esse potest sine omni luce. (IV.) Cum ait, famem etiam sustulisse splendorem illum igneum & sitiū morbos, quosvis affectus denique; hæc enim omnia oriri ex intemperie, quam sustulerit splendor ille igneus; ne quidem capi potest, quomo- do splendor igneus posit vasa omnia humani corporis pervaga- ri & ita communire, ne quid damni acciperet ab externis injuriis corpus. Quæ est proportio inter lucem & ejusmodi effectus? Hanc si nobis demonstraverit Dominus Observator, magnus Apollo erit. (V.) Cum ait: *Adamum & carnisse & sensim magis carniisse* (ergo non fuit simul semelque post creationem ab omnifame, siti, morbis &c. immunis, sed sensim ad immunitatem illam pervenit) *fame, siti, affectibus, frigore, morborumque cruciatibus, non minus ac ipse Sol, qui nos foveat & alit quotidie.* Quid hic velit Autor, ne Oedipus quidem divinari poterit. Ergone Adam in statu Innocentiae famem non cibis & sitiū non potu sedavit, sed luce? Ita equidem ante sexennium & quod excurrit, persvasi fuerant quidam homines simplices, qui in grastante cum frumenti penuria liberos suos panem efflagitantes Soli adversos posuerunt eo pacto minui famem putantes. Aut Adamum ne totum facit folarem, ut nulla re non aliter ac Sol, unquam indiquerit?

S. XV. Ridicula denique argumentatio §. XIX. legitur. Quicunque nescit se nudum esse, ejus corpus igneo splendore luet: Quicunque corpus contra frigus non defendit nec defendere opus habet, is splendore igneo est collustratus Risum teneatis Amici! Americani nudi incedunt, neque frigus ullum sentiunt. Ei corpora eorum splendore igneo gaudent? Equidem non negligendum esse putaverim & in Paradiſo futuram fuisse qualisunque frigoris & caloris, pluviarum & serenitatis, ventorum item & tranquilli aëris vicissitudinem, quanquam talem, quæ felicitatem primorum hominum, ad quam conditi erant, interturbare non possit. Quum enim hodie in excessu nonnunquam sœviant venti, cadunt pluviae, ingruit frigus, id ex ea maledictione pro manare omnino putandum est, qua post lapsum hominem ob peccatum, & ob hominem universam terram punivit justissimum Numen. Quanquam vero (quod tamen rectius sentientium iudicio relinquimus) ponatur, pluviis, ventis frigori paulo immo- dera-

deriori locuti in Paradiso fuisse, exinde tamen felicitati ipsi primorum hominum nihil potuit decadere. Ut enim non obstante Paradisiaca felicitate terra labore humano aranda & colenda erat; Quod si omisum fuisse, fructumque sine dubio aut nullum aut inacrum tulisset, ita absurdum haud esse videtur, media quædam adversus frigus nonnunquam ingruens, adversus pluviam nonnunquam exuberantem, itemque adversus vel caloris siccitatique & ventorum quendam excellum a primo homine fuisse adhibita. Invicte enim sequitur: Si terra colenda fuit, ut fructum ferret: E. si culta non fuisse, fructum tanta vel ubertate vel bonitate non tulisset. Colere vero terram non infert tantum arationem & occasionem, sed impedimentorum eriam remotionem. Quæ sicut primævæ felicitati ideo, quia sine omni tristio & molestia, corpore quippe humano optime validissimeque constituto, peragebantur, nihil derogassent. Quomodo illa cura derogare potuit, quæ impendebatur in qualemque frigus calorem aliqua incommoda aeris arcenda? Nempe felicitas primi hominis non absoluta fuerat, sed certo ordini divinitus adstricta, quem si migrasset primus homo, æque circa dubium peccasset, ac si ex arbore verita commedisset. Si itaque unius ordinis necessaria observatio felicitatem primi hominis non destruxisset, neque destruxisset necessitas observandi alterius ordinis. Erat enim homo tanquam conditus cum rationali anima intra rationabilem quoque ordinem modumque ad perfectionem in altera via obtinendam deducendus, qua de re superiori capite egimus. Quod & arboritæ comprobavit, si verum est, vitam per illius etum conservatam in primævo statu fuisse. conf. quæ a nobis in Proemio dicta sunt. Ut vero depellerentur ejusmodi incommoda minora, infinita fuerant in illo statu, partim in natura ipsa, partim in Dei peculiari providentia, præsidia, (de quibus diximus C. I.) ut hinc ad corporis lucem argumentari sit concludere a genere ad speciem.

§. XVI. Nunc videamus, quomodo cætera Oservatoris argumenta sint comparata. Ita vero ipse ratiocinatur. §. XX. Sequitur pana illa, quæ dominium Adami in animantes est sublatum, sane illud non poterat non ab Adamo abesse, cum splendor igneus ab eo recessisset. Namque splendor ille, ut supra diximus §. XVII, erat Adamo blandus

D 3

quæsi

*quasi conciliator animalium, ita ut hec propter illum, ad nutum Adami facerent, que is volebat. Rf. (I.) in genero.* Cum Autor hic provocat ad §. XVII. sue Observationis, non possum non, quin illum remittam ad §. XIII. hujus capitii, ubi satis efficacissime ostensum est, suspiciori illi, quam ibi proposuit, parum admodum tribuendum esse. Rf. (II.) in specie; Cum hic proficitur, splendorem illum fuisse Adamo quasi blandum conciliatorem animalium, ut hec propter illum ad nutum Adami facerent, que is volebat, merito dubitatur, utrum splendor igneus animalia ei, qui illo gaudet, conciliat potius quam ea ab illo alieniora reddat. Cum videamus & quotidiana experientia edoceamus, animalia ignem potius fugere, quam eodem delectari.

§. XVII. Argumentum §. XXI. adductum non est diversum ab eo, ut ipse Autor haud difficeretur, quod §. XVII. userat. Hoc ergo cadente illud subsistere nequit. Quae enim unquam esse potest connexio lucis in corpore humano & caloris cum sanitate hominis & cum dolorum *ānāθēz*? Ex temperamenti primarum, caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis & qualitate optimam corporis constitutionem Physiscorum Medicorumque filii ante hac derivarunt, nunquam ex lucis cum calore mistura. vid. omnino Dn. Praes. Nec argumentum ex luce atque calore Solis desumptum, in quo splendor, si ita cum Autore loqui fas erit, igneus & calidus, constantiam & perpetuitatem corpori solari conciliat, ad hominem trahi potest debetque, cum aliud longe temperamentum requiratur ad corpus animalium variis membris & materiis constans, quam inanimatum, quod caloris vehementer destruit potius quam conservat, cum Solem conservet potius, quam destruet. Quemadmodum alia inanimata, ute potius aurum frigus potius conservat, quam destruit. Lux vero ad corporis compositi vel conservationem vel destructionem nihil prorsus facere potest, ut nec Sol per lucem, sed per igneum calorem conservatur, quippe qui quantus quantus est, totus ignis est. Lucis alia operatio non est, nisi ut corpus oculis sicut conspicendi & ideo pulchritudinem ei quandam conciliat\* in Noet. Chrift. p. 488. 199.

§. XVIII. Repetit §. XXII. Dn. Observator ea, que iam supra inculcaverat, igneum splendorem Adami corpus ita affecisse,

ut

ut omnem sanguinem omnesque humores a putredine & corruptione defendisset & adeo ille sine molesto labore fructus ex terra elicisset. Quod Autor eo usque non creditur, quousque non ostenderit nexus inter splendorem igneum & validam perfeclamque corporis constitutionem. Qua de materia paulo antedictum est.

§. XIX. Alia adhuc argumenta §. XXIII. in medium profert Dn. Observator, quibus maximum pondus ac robur inesse putat. Considerabimus illa seorsim. Primum in hoc §. argumentum est. Si homo post lapsum pulvereæ naturæ fuit, tum ante lapsum splendor ei inuit. Atqui verum est prius, E. & posterius Resp. (I.) Citius ita colligerem: Si Adamus post lapsum pulvereæ naturæ fuit, tum ante lapsum aurea fuit natura. Ut ad minimum summa materie dignitas infime ejus vilitati opponeretur. Quis enim iterum est nexus: Pulvereæ naturæ nunc est, E. antea fuit splendide? Fungis ejusmodi consecutiones verius & citius persuadere poterit Dn. Observator, quam hominibus sana ratione utentibus. Resp. (II.) Adamus non demum post lapsum factus est pulvis, sed jam ante lapsum talis notorie, ipso DEO dicente, fuit. Quomodo itaque ex oppositione lapsus ad statum integratatis hinc colligere potest Author? Verba autem illa: *Pulvis es & in pulvorem revertaris*, Adamo post lapsum non exprobrant pulveream naturam, sed occasione pulverulentæ naturæ mortem seu in pulverem reversionem. Si itaque a statu lapsus colligendum est ad statum integratatis, collectio talis futura est: Si Adamus post lapsum moritur, E. ante lapsum fuit splendidus. Quam collectionem & pueri ridebunt. Et tamen Author joco credo, ad hanc consequentiam dicit *illam manifestissime arguere splendorem*. Splendor nempe ille Adamicus ita perstringit oculos Autoris, ut in meras tenebras degenerent, & consequentia monstrum non videant, sicut fieri solet, cum ipsum solis discum intuemur. Quae desplendore Adami pronuntiat, quod corpus ipsius inviolabile & incorruptibile reddiderit, principium pertinet, nec vel suspicionem pariunt, nedum indubitatam veritatem, adeoque causam, quam probandam in se suscepit, produnt potius, quam juvant. Alterum argumentum, quo suum figuratum stabilire audet Author, hujus est tenoris: *Nisi statuatur si statuatur, voluit dicere) Adamo integro nibil prater terream naturam fuisse, plane*

plane Dei oratio caret omni sensu & emphasi. Quid hic velit, vix intelligi potest. Emphasis locutionis divinæ non in eo consistit, ut Adam post lapsum sit terrenæ, ante lapsum vero nobilioris naturæ; quippe quod verbalegenti ne in mentem quidem venire poterat. Sed cum sit terrenæ naturæ & ante lapsum & post lapsum, nunc post lapsum per motum in terram debeat redire.

<sup>3318</sup> §. XX. Consecutio, qua §. XXIV. conspicitur, lepidissimus prosector est. Adam rarus fuit vividus. E spectavit illum vividissimum splendorem, quem amiserat. O lepidissimum caput! Quicquid in buccam venit, evomit. De absonta illa & insipida illius loci interpretatione supra actuum est, consequentia vero plane misera bilis est & ne quidem refutatione digna.

<sup>3318</sup> §. XXI. Satis impudenter ergo concludit Autor §. XXV. Spero rationes meas itaesse comparatas, ut aequo Lettori satisfacieantur. Vix credi potest, haec ferio ab Autore esse dicta. Et nisi illata haec observatio libro est, qui ab hominibus Christianis & Eruditio nis fama inclitis proficiscitur, suspicio non injusta foret, cum solum in finem scriptum illum esse, ut Spiritui S. in Scriptura S. loquenti illuderet, exque illa natus cereum ficeret, in quamcumque quis vellet partem flexibilem, ut nempe hoc pacto ex omni religione ludus & fabula redderetur & Libertinismus plenis velis in Christianismum invehernetur. Quod tamen ut avertat Benignissimum Numen, est, quod ardentiissimis exoramus precibus.

<sup>3318</sup> §. XXII. Accedamus vero ad §. XXVI. in quo Autor prodicit argumentum, quod ipse equidem appendicis tantum loco ad jicit, nec indubitatem esse, ut cetera, vult, inter omnia tamen est speciosissimum. Tractavit illum Dominus Preses (a) Iunque omnino illustria hanc in rem exempla Moys., Exod. XXXIV. 29, 35. 2. Cor. III. 19. Christi Matth. XVII. 2. Moys. & Elias, Luc. IX. 31. Operæ pretium omnino esse videtur, ut singula seorsum ponderentur. Quod itaque (1.) attinet exemplum Moysi, notamus Jesuitam Per verium (b) jam olim observasse, quod Moses Barcephas docuerit: Adamum editori Paradisi loco insidentem augusta autoritate & Majestate actali vultus splendore fulsile, qualem emicuisse & effusisse e facie Moysi Exod. XXXIV. memoratur. An eadem sententia fuerit Anastasi Simoni, ex quo haec verba Barib. (c) allegat:

erat

erat Adam torus lucidus & Dei formis & imago quedam, ut ita loquar,  
 Deo simili, confidenter haud dixer. Poterat ex hoc loco ab Obser-  
 servatore fortius argumentum, quam omnia ea sunt, quae in Obser-  
 vationibus apparent, pro luce corporis Adami defumi. Si enim  
 Mosi debuit per lucem autoritas conciliari, quanto magis Adamo  
 totius mundi & omnium ex se genitorum Domino? Unde etiam  
 presentari debuit omnibus animantibus tanquam herus ipsorum.  
 Gen. II. 20. Verum enim vero, quo minus huic argumneto sufficiens  
 concludendi robur concedamus, duo nos commovent. Primo, quia  
 populus, cui praefesse debebat, ingenio erat turbulentio & ob quas-  
 cunque causas rebelli, itaque necesse fuerat, ut autoritas ei extra-  
 ordinario quodam signo conciliaretur, cuius intuitu timorem &  
 erga Deum & erga Mosen conciperent, hujusque mandatis obse-  
 quiosi essent. Quod vero in integratissimam statu, in quo ab humana  
 natura omnis exulabat defectus, omne vitium, omnesque per ipsam  
 concreatae imaginis divinæ bonitatem & perfectionem Dei volun-  
 tati & ordini ab ipso constituto sponte fese & sine ulla reluctance  
 subjiciebant, locum non inveniebant ex se intelligitur. Ab extraordi-  
 nario ad ordinarium non valet consequentia. Quod si dixeris, saltim  
 tali signo majestatis indice discerni a reliquis hominibus bestiarum  
 intuitu debuisse Adamum, ut illi herum suum & omnium caput, cum  
 intellectu & scientia desituerentur, adeoque ex interno principio  
 agnoscere eundem haud possent, primo statim ejus aspectu præ  
 omnibus aliis hominibus, ex ipso ortis, venerari atque timere disce-  
 rent, tum in memoriam revocandum nobis est; non solum Ada-  
 mum dominium in creaturas per Dei imaginem obtinuisse, sed  
 quoslibet alios ex ipso descendentes, quippe per ipsam generatio-  
 nem eadem imagine instructos. Quorum corpora si simul luxi-  
 sent, quomodo bestie Adamum, ut maiore ipsum reverentia, quam  
 reliquo prosequi possent, dignoscere valuerint? Præterea anne be-  
 stias rationis tribuemus usum, ut ex splendore luce magnificen-  
 tiorem Majestatis Regiae splendorem colligerent & demissiore ani-  
 mi corporisque brutalis humilitate juxta Barcebam eundem cole-  
 rent & adorarent? Ut ipsum prætereuntes Elephas quidem probo-  
 feide ad pedes illius demissa, & bos genu ad terram inclinato & ca-  
 mis ore ad rictum & cauda ad blanditiam composita & equus hinmitu  
 obsequium suum & promititudinem testante & Leo corpore in

terram prostrato, & caper barbae suæ frequenti motitatione & luscinia atque alauda cantus sui musica tivavissimaque dulcedine salutarent? Saltem inquit, signo quoipiam honoris & Autoritatis Adamus a posteritate sua, quæ in infinitam hominum copiam temporis annorumque successu ex crescere poterat, distingvi debuit, ut communis omnium parens a filii suis atque Nepotibus & universi generis humani caput a nata ex se posteritate illico posset agnosci colique. Nec vero illustrius hujus rei indicium esse potuisse, nisi lucem. At cum hodie aliae sint distingvendi Imperantes a parentibus notæ præter lucem, utpote ministrorum præuentium & subsequentium comitatus, qui, quia in innocentia statu & ordo alicuius regiminis & obsequii, consentiente Theologorum doctrina, locum habuisset, Adamo denegari non poterat, ultro patet, infirmam esse a necessitate distingvendi superiorem ab inferiori, Regem a subdito ad hoc illudve signum honoris externum consequentiam. Id quod Philosophi ajunt esse argumentari a genere ad speciem affirmative, illudque vitiosum esse pronuntiantur. Deinde vero ab exemplo Mosis facie sua lucentis ad Adamum pariter lucentem ideo nulla est consecutio, quia disertis id de Mose refertur verbis, non item de Adamo. Ut adeo in contrariam potius partem colligendum videatur, quia de Mosis facie, quod luce quadam singulari conspicua fuerit, expreflam narrationem, ut insitueret, rem memoria dignam judicavit Spiritus S. E. si Adamus in illo integratissimæ statu in externo habitu formaque peculiari quadam prærogativa eminuisse, verisimile est, nec hoc præterire eundem Spiritum, quo minus nobis revelasset. Id vero cum haud fecerit, documento id est, talem lucem Adamum non circumdedisse, conf. quæ Cap. I. dicta sunt. *Terio* Coniunctio hominis cum Deo non necessario infert claritatem faciei, cum innumeris Deum viderent, quorum ideo facies splendida facta non est, sed dispositio liberrimo Dei arbitrio relinquenda est. Ubi vero iis, qui Dei interiori amicitia conjuncti fuerunt, splendor tribuitur, quod & circa Angelos factum, Matth. XXIIX. 3. Luc. XXIV. 4. autoritas missionis insinuat. vid. *Rivetus*, (d) notatque ex *Luca Brugenij Polus* (e) *Regno Satanae tenebra congruum ob honorem & misericordiam, regno Dei splendor & lux ob beatam letitiam* (II.) Cur Christus in monte splendere debuerit, gravissima omnino ratio fuit vid.

B. Chem-

B. Chemnitius (f) ubi notandum, novum hunc & inusitatum splendorem corpori Christi accessisse non ab extrinseco & circumstante aliquo corpore, quod radios in Domini faciem transuderit, ceu procul dubio intelligit Dn. Observator, *sed ipsius faciem ut solem, resplenduisse.* Huncque splendorem vestes penetrantem non prius in vestes Christi, deinde in corpus fuisse transfusum, sed ab ipso corpore exortum & Collucitoribus quoque claritatem illam difpensasse, ut loquitur Summe Venerabilis atque Magnif. Dn. D. Jo. Fried. Mayer. *Theologus supra omnem laudem nostram positus, Patronus noster filiali cultu ac obsequio prosequendus.* (III.) Exemplum Mosis & Eliæ in monte splendentium caufam Observatoris non juvat. Hi enim splenderunt tanquam incole gloriæ, quibus haec maiestas solis reservata est. vid. de hac beatorum claritate B. Job. Gerhardus (b) Plura qui scire desiderat de hac Mosis & Eliæ apparitione, adeat modo adductum Magnif. Dn. D. Mayerum (i) Quemadmodum vero, qui Regi vel principiis aulæ inferuntur, adeoque Regi vel Principi arctius uniuntur, hoc ipso vestibus splendidis splendiferibus, splendifissimis, pro dispositione Regi vel Principi induuntur ad designandam Regi vel Principi ilius Majestatem & honorem, ab aliis his Regi & Principi amicis habendum, ut tamen nonnulli in aula versentur nihilominus, qui nullis splendidis vestibus incedunt. Ita & in regno Dei, qui ita ordinavit, ut nonnulli, utpote beati, splendifissimis vestibus gaudeant, alii ut Moses aliquando extra ordinem splendidis. Ut autem hoc ab arbitrio divino dependet, arbitrium autem divinum nonnisi ex revelatione innoteſcit, ita frustra ex unione cum Deo concludetur pro splendore corporis, niſi simul dispositio & voluntas divina ex revelatione probetur. Quin imo in contrarium potius argumentari licebit, ceu supra jam dictum. Omnium autem minime a splendore corporis Mosis & Beatorum, qui ad hoc tantum collatus est, quod ex supra notaris jamdum pater, ut maiestatem personæ & rei tum gesta designare deberet, concludere licet ad talem splendorem corporis Adami, qualem confingit Dn. Observator, qui nempe corpus Adami aptum reddere deberet ad omnes actiones vitales exercendas & per quem præservatus fuisset ab omnibus morbis, affectibus inordinatis, ira,

E 2 z. folio 29v. marginata 29v. ira,

ira, odio, siti, fame. Qualis miraculosus & paradoxus splendor, si in corpore Adami extitisset, memorari a S. Scriptoribus debuisse.

(a) in Noſt. Chriſt. p. 442. (b) Comment. in Gen. p. 167. (c) in Adverſi. p. 1940. (d) I. c. p. 1205. (e) in Synops. Crit. ad b. l. (f) in Harm. p. 963. (g) in Diff. Sel. Diff. p. 81. (b) LL. Theol. Loc. ult. p. 321. (i) I. c. p. 84. ſqq.

§. XXIII. Promittit quidem Dn. Observator. §. XXVII. & ult. fe poſthac hoc argumentum ex conuerſatione cum Deo de-ductum amplius declarare & vim ex eo concludendi ostendere velle, imo alia etiam argumenſa splendorem illum Adamiticum probantia adjicere velle. Sed cum ſolum hoc argumentum qua-lemcunque ſpeciem habeat, cætera omnia vero ne fuſpiciuncu-lam quidem ullam, ut Obſervatori placuit loqui, movere apta ſint, omnino neceſſarium fuſſet, niſi ſemetipſo juſcie cauſam ſuam prodere veller, fortiora illa argumenſa producere. Quod denique ait: *Ceterorum opinioneſ tam eſſe frivolas, aut mancas, ut nibil plane aut voluptatis aut utilitatis inde reſulſet, riſum potius quam riſponſionem meretur.*

§. XXIV. Antequam vero toti traſlationi colophonem imponamus, argumentum, quod forte ex nomine *Adam* forma-ri poſſet, ſolvemus. Vox אָדָם vulgo a rubore derivatur, ut omnes Lexicographi teſtantur; Hinc eo nomine prium ho-minem eſſe insignitum, quia e terra rufa creatus, opinantur non-nulli. vid. Beuerlandus (a) Hanc derivationem Dn. D. Majus (b) incertam eſſe dicit, neque conſtar, utrum ex rubra an alia terra conditus fit Adam. Commodorem derivationem eſſe Ludolphi, cui ex Æthiopica lingua *Adama* fit *iucundum, elegans, amenum*. In Arabica quoque lingua ſignificare *candere*. Formositatem quo-que in iplis ſacris notare. Prov. XIII. 21. 1. Sam. XVII. 42. Porro, quando pulchritudo ad colores tranſeritur, tum אָדָם ſignificare *ſplendere, nire*. Cant. V. 2. ſponsus meus *candidus & lucidus*. Ap-tiſſimum eſſe Adami nomen, cum Adam fit compendium omnis pulchritudinis, fed eam non tantum quærēdam in corporis forma, fed potiſſimum in animæ donis. Neque impediſre, quod videatur Deus hoc nomen e terra derivare, Gen. III. 19. Id enim fieri per alluſionem. Specioſe equidem hæc a Domino *Majo* pro-ponun-

ponuntur, sed tamen ultimum argumentum non satis elidi videatur. Nimis enim emphatica sunt verba: *Terra es &c.* Unde non immerito dubitat *Clericus*, utrum a formositate dicatur, cuius observatio c. l. inepta non est, Adamum nempe non immediate ab ~~אָנָה~~, si talis apud Antiquos radix extiterit, sed ab ~~אָרֶת~~ terra dici, quippe quod nimis clare insinuet Deus: *Terra es &c.* vid. B. König (d) *Franciscus Bormannus*. (e) Si autem vel maxime etiam splendore significaret, tamen inde firmum argumentum pro facie aut corpore Adami implendente non caperetur. Nam ex Etymologia infirma sunt argumenta, quod vel ipsa experientia comprobat. Quidam vocantur *Christiani* (nomen satis honorificum!) sed vitam Christiano haud dignam proh dolor! agunt. Alii splendida satis gerunt nomina, faēta tamen eorum satis, ut ita loquar, fordida sunt. Bene sonat, si de aliquo affirmare licet, Nomen & omen habet. Sed hodie vulgo illa auditur vox: Nomen, non omen habet. Nomen prætereaque nihil. Quanquam hæc omnia non quadrent in Adamum integrum, notum tamen in universum est, argumenta ex nominibus desumpta esse infirma. Plura addere pagellarum vetat angustia, Deo interim benignissimo pro præstito divino auxilio sit laus & gloria nunc & porro in æternum, cum nos ad gloriosissimæ beatitudinis nunquam finienda statum deduxerit.

- (a) in *Dissert. de Pecc. Orig.* p. 15. (b) in *Exerc. Sacr.* p. 267. seq.  
 (c) in *Pentateuch.* p. 12. (d) *Theol. pos. L. d. Hom.* p. 54, §. 233.  
 (e) in *Synops. Tom. I.* p. 387. §. 875.

F I N I S.



## Nobilissime ac Clarissime DN. RESPONDENS

**N**on satis est surculum florenissimo stemmate esse ortum, nisi & ipse gemmas suas floriferas prodat: Sic & non satis est Splendidissimis majoribus ac parentibus esse natum, nisi & bona indoles conspiciantur vestigia. Probetid pensitas, Clarissime DN. SLEDANE, atque hinc non exquisitis in hac gloria, quod optimos, ex quibus ortum trabis, recensere queas majores, inter quos adhuc fulget & de Stralsundensi Ecclesie eo magis, magisque mereri pergit Maxime reverendus tuus parent, Fautor ac amicus noster singulariter colendus; Verum & laudabilissime eorundem conaris premere vestigia, quemadmodum & presenti doctissimo specimine academico publico spem praeber hand dubiam, fore, ut & in te immortalis SLEDANE RUM fama sit perennatura. Gratulor propterea animitus & celeberrimo tuo Dn. Parenti de hoc gaudio, quod ex dilectione nati sui persentisicit, vovoque ex toto pectore, ut plurima adhuc alii gaudia istiusmodi creentur. Et Tibi Gratulor Clarissime Dn. Respondens de laudabilis conatu. Ad sic tibi porro Spiritus S. sua Gratia, ut spem illam bene de te conceptam indies magis magisque expreas, inque egregium totius Ecclesie Orbisque litterarii ornamentum ex voto quam felicissime emeratur. Vale in Domino. Ceterum semper sum.

Scrib Rostoch. d. 18. Dec.

Claritat. T.

Addictissimus

Aanno 1706.

Z. GRAPIUS. D. P. P. & U. D. M.  
h. t. Academiae RECTOR, & FCtis  
Theol. DECANUS.

Ad

## NOBILISS. ET CLARISSIMUM HUJUS DISPUTATIONIS AUCTOREM.

**C**um presentem materiam pertransandam aggredereris, Dottissime SLEDANE, duo statim in Te, qua singulari me voluptate affecerunt, deprehendi, Simplicem Veritatis, quam ubique profiteris, amorem, cuius impulsa religio Tibi est, a doctrina sancto quodam confusu in Ecclesia nostra recepta, vel latum ungvem recedere, & ingenii judiciique Tui candorem, quoque recenter ab iis, qui ex universa rei glorie nostra, ipsaque Sacraissima Scriptura lumen fabulamque faciunt, ad suspectam profanis hominibus faciendam fidei nostrae Sanctitatem, inventa & regesta fuerunt, solido examine disseritis & repellitis. Attulisti hunc ad nos animum ex illa Academia, in qua imperterritum invicta veritatis propugnatorem, illustre Ecclesia nostra si-

dus

dus, D. MAYERIUM, eo cum successu fructuque audivisti, qui in presenti  
exercitatione Tua pleno se lumine prodit. Eundem in hac nostra ita robo-  
rasti simul & perfecisti ut maximi minime & amarent Te plurimum  
& patrie pariter Tuae Patriae nornisi præclara qualibet de Te & salu-  
taris pollicerentur Nec enim ex illa animi Tui, qua in omnibus negotiis  
Tuis Deum extimesisti, eique Te totum das atque permittis, pietate, exil-  
lo in omne Sacrorum studiorum genus ardore, nisi spes in Ecclesia olim sa-  
lutem amplissima concipi potest atque fovari. Faxit Deus, ut eadem ali-  
quando multo cum favore expletam videat amantissimus Tui PARENTES,  
cujus in Ecclesiam suam meritis laboribusque, quos Patria merito aspi-  
rat colitque, si hoc quasi premium accesserit & solario in senectute recrea-  
bitur solido & fructum officii fideleriter administrati ad posteritatem etiam  
diffunderet.

Scr. Rost. die XVI. Decembr.

A. M DCC VI.

### DISPUTATIONIS TUÆ PRÆSES

Viro

*Maxime Rev. atque Amplissimo*

**DN. ALBERTO SLEDANO**

*Pastori ad D. Jacobi apud Sundenses longe meritissimo,*  
Eautoris atque in Christo, Patri suo quovis honoris & amoris  
cultu prosequendo,

S. P.

**E**Gregia sane & notata digna sunt verba D. Hieronymi alicubi  
differentis: *Meum propositum est antiquos legere, probare singu-  
la, retinere, quæ bona sunt, & a fide Ecclesie non recedere.* Utinam hæc omnium animis inscripta esissent! Sed proh! hodi-  
erna tempora, ubi monstrosus lentiendi & credendi liber-  
tinismus regnat, vix unum alterumve sistent, cui pura ac vera Reli-  
gio curæ cordique est. Antiquos, quod non miraberis, legunt, fed  
ut suos stabilient errores. Singula probant, judicio enim discretivo  
pollent, sed mala retinent, quæ bona sunt, nescio quo impetu im-  
pugnant evertuntque. A fidè Ecclesie recedere religio ipsius non est.  
Ut paucis exponam, quod res est: Nova illis placent, antiqua di-  
splicant. Vetera septies probata igne, non intelligunt, aut negli-  
gunt. Hæc ut prolixe declararem, *Vir Maxime Rev.* nulla postulat ne-  
cessitas, cum jam in vulgus notissima sint. Non sine lachrymis arden-  
tissimis larvati illius Democriti scripta leguntur pestilentissima, qui-  
bus antiquam veritatem per aliquot jam annos impugnavit. Non-  
dum

dum ipsius exstinctus est furor. Veritatem non tantum cœlestem, verum etiam Viros de Ecclesia nostra meritissimos diabolicis scom-  
matibus, quotidie proficit. Quid de Observatoribus Halensibus, ut alios hujus furoris homines silentio præteream, sit judicandum; is facili adveretur negotio, qui præconceptis opinionibus obrutus non est. Miracula illi divina extenuant. Miracula fingunt. Veritatem divinam indubitatis rationibus defendere se satis audacter pronun-  
ciant: Evertunt tamen veritatem. Fingunt, quod libet. Argumentis pugnant, sed stramineis & fculneis. Latibula querunt, sed nullibi tuiti sunt, quod non solum a Celebrerrimis Viris, qui placita Halensem sub examen haec tenus revocarunt, evidentissime demonstratum est, sed & præsens Filii Tui, *Vir Amplissime*, Dissertatio & egregie & satis solide docet. Nunc vides, quo haecce mea tendant. In laudes dilectissimi Filii Tui & mei in Collegio, privatissimo Au-  
ditoriorum haec tenus jucundissimi, lubentissime excurrerem, nisi ipsius modestia silentium quasi imperaret. Ne vero nihil plane dixisse videar, paucis, cum & Viri supra laudem meam positi de ipso lo-  
quantur, apponam, adulari enim haut licet, que veritati omnino consono sunt: Aurea illa Hieronymi, supra a me allata, sedulo ob-  
servavit Filius tuus, Paternarum Virtutum ex aſte hæres. Antiquos legit, probavit singula, retinuit, que bona sunt, & fide Ecclesiæ no-  
ſtræ non recessit. Puerorum enim esse existimavit, quolibet obo-  
rientis doctrina Vento abripi. Sanam, quam vel ex Theologorum Orthodoxorum scriptis, vel ex eorum informatione orali hausit  
doctrinam tertia nunc demum vice, ne mentionem illius eruditus speciminis in Gymnasio Sedinensi editi faciam, ex cathedra Aca-  
demica tueri aggreditur. Quis ergo *Vir Venerande*, Te felicem non  
predicet, quod in senio sat venerabili novis omnino gaudiis affi-  
ciaris? En! reddit Tibi Alma nostra, quem per biennium fere fo-  
vit, filium, ut nullus dubito, varia scientia instructum. Qui super  
est, nisi ut *Maxime Rev.* T. D. ex toto pectore gratuleret de Filio egre-  
gie omnino indolis, qui uti ad honestissima quævis natus, ita ad  
maturitatem studiorum semper ulterius properat. Votum subjun-  
go devotum, velut Benignissimum Numen, a cuius nutu omnia pen-  
dunt, Te quam diutissime lospitem servare, quo filium huncce Tu-  
um dignitate aliqua ornatum intueri valeas. Nec ullum dubium est,  
quoniam hoc brevi eveniat, si virtutem suam ulterius feliciter, ut coe-  
pit, demonstraverit. Vale & fave

Rostochii, d. 18. Decemb.

Anno. 1706.

T. Maxime Rev. Dignitatis

Addictissimo

GEORG. FRIED Nienhenc<sup>o</sup> / L.


Rostock, Diss., 1706-09

X 2373042

✓D 18



B.I.G.



DISPV TATIO THEOLOGICA  
EXAMINANS  
CONTROVERSIAM RECENTIOREM  
DE  
GLORIOSISSIME LVCENTE  
**A D A M I**  
**CORPORE**  
A FAMOSISSIMIS OBSERV. HALENSIVM COLLECTORIBVS  
TOM. IIX. OBSERV. VI. MOTAM  
QVAM  
CONSENSU THEOLOG. ORDINIS  
SUB PRAESIDIO  
**DN. IOH. FECHTII,**  
DOCT. ET PROF. THEOL. SENIORIS, CONSIST. DUC.  
CONSIL. AC DISTRICTVS ROSTOCH.  
SUPERINTENDENTIS  
IN AUDITORIO MAJORI  
D. XXII. DEC. MDCC VI.  
PUBLICAE AC PLACIDAE COMMILIT. DISQUISITIONI SUBMITTIT  
**ALBERT. HENR. SLEDANUS,**  
SUNDA POM.  
VITEMBERGAE, RECUSA MDCC XVI.